DE ROMANORVM PLVRALI POETICO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVILELMVS SCHINK
HELLENTALIENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMXI

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 13. Mai 1911.

Professor Dr. **R. Haussner,**
d. Z. Dekan.

PRAEFATIO.

Ut quaestiones quae ad pluralis poetici naturam pertinent investigandam instituerem, duabus de causis sum permotus: et quia in animo habeo indicem in lucem dare quam locupletissimum in quo collegi exempla pluralis poetici quae inde ab Ennio usque ad Ovidium — excepto Horatio — in carminibus dactylicis et epicis et elegiacis inveniuntur; et ut reiciam sententias virorum doctorum qui nuperrime hanc rem tractaverunt ita, ut denuo aliquod significationis discrimen plurali pro singulari posito inesse arbitrarentur. — Hoc autem ordine in materia distribuenda utemur, ut primum exemplis nonnullis propositis ipsam quaestionem disceptemus, utrum significationis discrimen inter singularem et pluralem cognosci possit necne. Deinde variae virorum doctorum sententiae breviter illustrabuntur ita, ut a veterum testimoniis incipiamus. Tum vero explicabitur, quibus de causis eorum sententia, qui pluralem poeticum e causis mere formalibus positum esse censent, sit praeferenda. Quarta paragrapho demonstrabimus quibus de causis poetas eius modi dicendi rationem usurpavisse censeamus; quinta quo iure poetae talem usum sibi permittere potuerint; sexta ostendemus Maasii definitionem aliquatenus amplificandam esse; ultimo denique loco historiam pluralis poetici inde ab Ennio usque ad Ovidium breviter enarrabimus.

§ 1. Ac primum quidem pauca proferamus exempla quibus elucet pluralem et singularem eiusdem nominis, ubi de eadem re agitur, promiscue exhiberi a poetis dactylicis.

Lucretius ubi de Iphigenia Dianae mactanda quaestio est, de ara in qua Graecorum duces hoc sacrum instituturi sunt, dicit I 89 ante aras adstare parentem Sentit (sc. Iphig.); item 95 'tremibundaque ad aras Deductast' (sc. Iphig.). Sed eodem sensu modo dixerat v. 84 'Triviai virginis aram Iphianassai

turparunt sanguine'... — Vergilius de rogo quem Dido sibi exstruxerat, dicit Ae. IV 646 'conscendit furibunda rogos ensemque recludit'. De eadem re praecedit singularis 640 'rogum' (ante cons.) et 676 sequitur 'hic rogus iste mihi'... — Simili ratione Ovidius de Sibyllae antro pluralem usurpavit met. XIV 104 'antra Sibyllae' (i. V. p.). Eodem sensu extat sing. met. VI 10 'Sibyllae Antrum immane'.. Etiam Lycophron unam tantum Sibyllae novit domum, cum dicit (1279) '*στυγνὸν Cιβύλλης ἀκτήριον*'. — Pariter res se habet, ubi Ovidius de vellere aureo loquitur: met. VII 7 'Phrixeaque vellera poscunt'; item epist. XII 108 'quae raperes, vellera tuta dedi': sed de eadem re 200 ante vocalem 'vellus' et epist. VI 2 'auratae vellere .. ovis' (cfr. v. 14 plur.). — Item legimus apud Ovidium met. X 187 de Hyacintho qui ab Apolline vulneratus est 'tristia vulnera siccat'; paucis versibus infra eodem sensu 'erat immedicābĭlĕ volnus' (ubi pluralis propter attributum exhiberi non poterat; nam versus dactylicus tribrachyn 'immedicābĭlĭă' non patitur): sed cum de eodem vulnere etiam 197 singularis sequatur, ubi nulla causa cogente pluralis exhiberi poterat, dubium non est, quin de uno tantum vulnere quaestio sit. Ille versus talis est 'tuum, mea crimina, vulnus'; nihil enim poetam impedivit quominus diceret 'meum, tua vulnera, crimen' nisi sensus ipse. — Unum denique exemplum ex ingenti numero addere mihi liceat item ex Ovidii carminibus: ex Pont. I 4, 30 legis 'solis ad occasus' ante vocalem; sed eodem sensu in versu antecedenti 'solis ab occasu' et met. V 445 'solis ab o c c a s u quaerebat ad o r t u s'.

His exemplis prolatis satis evidenter apparere mihi quidem videtur, quae sit poetarum ratio in plurali poetico usurpando. Nam ex eo quod poetae eodem sensu utrumque numerum sibi permittunt, nullam peculiarem vim plurali poetico tribuendam esse certissimum esse videtur.

§ 2. Neque vero omnibus temporibus viri docti sic de hac quaestione cogitaverunt, sed variae sunt sententiae et plane diversae prolatae ad hanc numerorum permutationem explicandam, qua in re simplici viri docti operam consumpserunt quam maximam, ita ut quasi de historia huius quaestionis dicere possimus. Neque tamen, si viri docti veterum grammaticorum — qui, ut mihi quidem videtur, iam recte huius usus naturam cognoverant — sibi in mentem revocavissent testimonia, ad mira

saepe artificia pervenissent. Quare, cum illorum testimoniis aliquid auctoritatis tribuendum esse censeam, pauca de eis praemittamus. Atque primo loco Vergilii commentator mihi nominandus est, Servium dico, qui saepius pluralem pro singulari positum diserte exposuit. Ecl. V 36 ad verba 'grandia .. hordea' explicanda adnotat 'grandia hordea usurpative metri causa dixit: nam 'triticum hordeum vinum mel' numeri tantum singularis sunt, unde plurali in prosa uti non possumus'. Ad ge. I 100 'umida solstitia atque hiemes orate serenas' profert Servius: 'tamen si diligenter attendamus, poetica licentia est usus ut pluralem numerum pro singulari poneret: nam 'solstitia' pro solstitio et 'hiemes' pro hieme posuit'. Ge. II 7 ad verba 'musto novo' explicanda: 'mustum numero tantum singulari dicimus, sicut vinum. licet Ovidius abusive dixerat musta. sed hoc ille plus fecit quod et mustis dixit, cum .. de his nominibus tres casus tantum usurpari consueverint'. Denique ad Ae. XI 659 legimus: 'flumina Thermodontis' 'flumina pro flumine'. Restat ut de Charisii et Prisciani grammaticorum sententiis commoneam. Charis. I p. 34, 28 dicit 'item haec semper singularia sunt mel *μέλι*; quamvis Vergilius mella dixerit: oleum *ἔλαιον*, vinum *οἶνον*, quamvis Vergilius vina dixerit. et si qua nominativo pluraliter efferuntur, ceteris tamen casibus cessabant. et si pluraliter declinata fuerint, non ad quantitatem, sed ad genus referuntur'. De eisdem vocabulis monet Priscianus V p. 175, 16: 'mella frumenta ordea farra plurali numero protulit Vergilius, cum in usu frequentiore singularis numeri sunt, sicut alia quoque plurima ut 'sanguis pulvis pax', quae tam singulariter quam pluraliter prolata idem possunt significare'. Et p. 176, 6 de nonnullis nominibus quae pleraque semper singularia inveniuntur, dicit: 'adeo autem haec usus, non regula prohibet etiam pluralia habere, quod quidem propria confisi auctoritate plurali quoque .. protulerunt numero'. Saepius autem in artibus grammaticis legimus: 'poetae hoc nomine pluraliter utuntur — in prosa oratione singularis tantum obvius est'.

Quae veterum testimonia cum viri docti vel neglegerent vel contemnerent, ad explicationes tam absurdas devenerunt. Agmen eorum qui plurali pro singulari posito significationis quoddam discrimen supponunt, C. G. Jacob[1]) ducit; qui plurali nominum

1) De usu numeri pluralis apud poetas Lat. Naumburgi 1841.

et abstractorum et locorum et regionum amplificationem denotari censet. Tertio in capite agit 'de pluralibus magnitudinis gravitatis praestantiae pulchritudinis'. Cuius ad sententiam accedit Ph. Spitta in quaestionibus Vergilianis[1]) neque illam vel amplificare atque extendere neglegit. Nam hic vir doctus plurali vim epitheti quod vocatur ornantis attribuere veritus non est. Verba ipsius audias (p. 4): 'quid vero? si apud Vergilium saepissime numero plurativo posito adiectivum significetur, quod notionis distinctius indicandae atque extollendae inserviat?' Magno ex numero exemplorum quae afferuntur ad hanc sententiam fulciendam, unum commemorasse satis habeo. Ad vocis 'vulnera' pluralem illustrandum supra nonnulla exempla protulimus, quae nulla alia de causa pluralem usurpatum esse ostendunt ac propter metrum. Spitta autem (p. 16) 'numerum pluralem adhibitum esse ad augendam notionis qualitatem ita, ut vulnera fere sint idem atque vulnus letale'. Nec vero semper latere in vulneribus notionem mortis oportere, sed significare posse numerum etiam grave periculosumque vulnus'. Quorum virorum doctorum ad sententias prorsus accedunt G. Overholthaus[2]), Fr. Sass[3]), R. Braumueller[4]), E. Seyss[5]), qui antecedentes omnes miris suis interpretationibus vicit et summas ineptias sibi permisit. Praeterea hoc loco asserendi sunt Fr. Kuehner[6]) et Fr. Neue-Wagner[7]), qui viri docti omnes numerorum illi permutationi sensus discrimen attribuunt.

Sic iam pervenimus ad eos viros doctos apud quos contraria ratio valet, qui alteram a priore omnino abhorrentem profitentur sententiam. Atque primo loco mihi commemorandus est I. C. Koene[8]) qui vir doctissimus primus huius quaestionis veram naturam recte intellexit, sed frustra: non audiebant illum. Cuius in optimo libro exemplis demonstratur, poetas dactylicos,

---

1) Sondershusae 1867.
2) Syntaxis Catullianae capita duo, Papenburgi 1875.
3) De numero plurali, Kiloniae 1873.
4) Ueber Tropen und Figuren in Vergils Aeneis, Berl. 1875.
5) Ueber den Plural der Subst. Abstracta in Vergils Aeneis, 1882 Iglau.
6) Ausführl. Gram. d. lat. Spr., Hannover 1878. II 23.
7) Formenl. d. lat. Spr., Lips. [3] 1902. I 103.
8) Ueber die Sprache d. röm. Epiker, Münster 1840.

cum lingua Latina a metro heroico natura abhorreat, permultis pulcherrimisque formis, quod versui non erant aptae, uti nequisse itaque ad illas formas versuum rationi accommodandas saepenumero poetas pro singulari pluralem exhibuisse. Koenium secutus est F. C. Hultgren[1]), qui vir doctus in plurali usurpando praeter metri necessitatem etiam praeceptis euphonicis poetas Latinos ductos esse ostendit; item E. Appel[2]) similiter de hac licentia iudicat. Audiamus hunc ipsum (p. 15): 'qua autem re poetae dactylorum inopia laborantes magis poterant adiuvari quam neutris pluraliter usurpatis, quibus aut ipsis dactylus contineretur aut, si in trochaeum exirent, optima daretur dactyli explendi facultas?' — O. Keller[3]) in observationibus suis grammaticis praecipue ad V. hexametri pedem spectat, in quo, cum merus dactylus esse debeat, neutra illa pluraliter sensu singulari saepissime exhibentur. Totam autem quaestionem tractavit atque dilucidavit quam splendidissime P. Maas[4]), qui vir doctissimus ad hanc pervenit conclusionem: pluralis poeticus est statuendus, ubi scriptores in oratione soluta, nimirum in ea oratione soluta, quae a poesi nondum infecta est, singularem posituri fuerunt; quo plurali nusquam vocis vis immutari potest. Omnes fere viri docti qui postea de hac re scripserunt Maasii sententiam in universum comprobaverunt, quamquam in nonnullis rebus ab ea recedunt. Omnino cum Maasio facit Fr. Slotty[5]), in definitione consentit G. Landgraf[6]) itemque Norden[7]) et E. Bednara[8]).

Restat ut mentionem faciamus tertiae sententiae quae quasi medium tenet inter priorem et alteram. Quae sententia paucis verbis sic exprimi potest: poetae quamquam multis locis cum significationis quodam discrimine, tamen et euphoniae causa et metri necessitate coacti plurali cum illa poetica licentia

1) Die Technik der röm. Epiker, Fleckeis. Jahrb. 1873 p. 745 sqq.
2) De genere neutro intereunte in ling. lat., Erlang. 1883.
3) Grammat. Aufsätze, Lips. 1895 p. 189—218.
4) Arch. XII 479—550.
5) De numero pluralis usu Catulliano, Ienae 1905.
6) A L G XIV 63 sqq. Bemerkungen zum sog. poet. Plur. in d. lat. Prosa. Cfr. de huius falsa sententia Slotty p. 36—37.
7) In Vergil. VI Com. p. 399.
8) Arch. XIV 532 sqq. de sermone dactylic. Latin. quaestiones.

utuntur. Sic de hac re iudicant Draeger[1]) et Hailer[2]) et Frobenius[3]). Quod novissimam dissertationem hanc attinet, magna commotus sum admiratione, quomodo, postquam Maasii commentatio in lucem venit, fieri potuerit, ut tales sententiae proferrentur. Frobenius enim nos ad eos reducere conatur, qui plurali poetico peculiarem vim supponere volunt. Quo in studio sibi ipsi constare mihi quidem non videtur: quamquam sententias eorum reiciendas esse censet qui plurali pulchritudinis aut praestantiae vim inesse arbitrantur — quam opinionem mente tantum fictam dicit —, tamen notionem extensionis (regnum — regna) plurali amplificari posse sibi persuasit. Auctoris verba ipsa afferre mihi liceat: 'dass ein plur. praestantiae oder pulchritudinis Phantasiegebilde sind, ist ohne weiteres zuzugeben. Sollte aber der Numerus der Mehrheit nicht imstande sein, einen Begriff räumlicher Ausdehnung zu multiplizieren und damit gegenüber dem Singular eine Erweiterung der Vorstellung herbeizuführen?' — Quales explanationes ne in posterum proferantur, non inutile esse censeo iterum breviter de pluralis poetici vi formali in capite sequenti agere et demonstrare quibus de causis Maasii definitio sit recta.

§ 3. Iis qui plurali peculiarem vim insinuandam esse arbitrantur, poetae ipsi — meo quidem iudicio — summum argumentum opponunt, cum uno eodemque sensu — ut exempla praemissa docent et ingens numerus eorum, quae in indice sunt collecta docebunt — saepius eiusdem nominis utrumque numerum in eodem versu aut in eoden verborum circuitu sibi permittant. Accedunt alia argumenta quae si non tanti momenti sunt atque illud, tamen aliquid auctoritatis habere nemo sane negabit. Nam summo iure quaesiverit quispiam, cur scriptores, imprimis ii quorum propria est ratio breviter atque distincte scribendi velut Caesaris, Sallustii, usi non sint hoc commodo, videlicet uno tantum substantivo pluraliter posito tot et tam varia exprimendi?[4]) Etiam hoc illis viris doctis obici potest, cur multis

1) Histor. Syntax I² 5—22.

2) Beiträge zur Erkl. d. poet. Plur. bei d. röm. Elegikern. Gymn.-Progr. Freising 1902.

3) Die Syntax des Ennius. Nördlingen 1910. p. 5—9.

4) Cum Fr. Slotty Lebretonis et G. Landgrafii sententias reiecerit, satis habeo legentes ad hanc dissert. revocare (p. 28/29 et 36/37).

locis poetae plurales illos coniungant cum adiectivis, quibus inest talis vigor qualem viri docti volunt sibi ascivisse merum pluralem?[1]) Certe vero mirum esset in lingua latina sola pluralem habere vim notionem nominis augendi; nam nullam novimus linguam indogermanicam, ubi talis usus valet.

Postquam vero poetas plurali et singulari eiusdem vocis sine significationis discrimine usos esse cognovimus et argumentis satis gravibus hanc sententiam confirmavimus, iam in eo est, ut inquiramus quibus de causis, quippe cum poetas sensus rationes secutos esse negemus, ad eius modi usum plurativi numeri sint adducti. Has quoque quaestiones ad argumenta illa confirmanda aliquam vim habere non dubito quin concedas.

§ 4. Metri necessitas erat parens atque principium talis numeri pluralis cum singulari confusionis. Lingua enim latina, cum syllabis imprimis longis faveat, natura abhorret a metro dactylico et anapaestico; itaque praecipue hexametro et pentametro idonea non erat. Quare ne ingenti vocabulorum numero privarentur pulcherrimisque formis carerent, ad varia auxilia animos attendere poetis opus erat. Quorum adiumentorum in numero, cum de ceteris agere meum non sit, etiam usus pluralis est, quem poetae usurpant pro singulari imprimis ad brevium syllabarum numerum augendum et meros dactylos facilius explendos. Quam numerorum permutationem invenimus praecipue in substantivis generis neutrius. Quantum poetae Romani iis faverint, facile cognosces, si tibi in mentem revocaveris ex numero ducentorum substantivorum quae cum illa poetica licentia exhibentur, CXX generis esse neutrius. Quae cum ita sint, primum ad illa nomina animos intendamus atque inquiramus primo loco eorum naturam quae trochaeum ante exitum praebent. Huc spectant neutra secundae declinationis, quorum casus recti non nisi plurali posito aut postrema syllaba elisa metro dactylico immitti possunt. Nam singularis nominativus vel accusativus, cum creticum praebeat, plane versui heroico repugnat et quod alteram singularis versui inserendi attinet facultatem, nimirum elisionem postremae syllabae, nunc iam in eo est, ut de hac re, cui in pluralis poetici historia pertractanda aliquid

1) Slotty 35.

auctoritatis non est denegandum, uberius agamus [1]. Creticorum elisionis exemplum non invenitur in Ennii hexametris; sed Lucilius, Catullus [2] — praeter hexametros continuos — Horatius in saturis, auctor Priapei (85, 7) eandem admiserunt — quod Horatius et auctor Priapei hoc fecerunt, in offensionem nostram non cadit, cum illi etiam alia, quae optimo cuique poetae concessa non sunt, sibi permiserint. — Igitur cum veteres minus fuissent anxii ne vitarent elisiones tales, effecerunt, ut praeter alias formas permagnum quoque neutrorum illorum numerum e sermone excludi opus non esset. Sed inde a Sullae aetate poetae abhorrebant ab elisionibus eius modi. Cum L. Muelleri observationes quae ad hanc rem pertinent, comprobem, illius verba afferre liceat (p. 347): 'igitur dactylica qualia sunt 'arduum, militum, plurimum' timuerunt cum vocalibus committere Tibullus, Grattius, Columella, Homerus Latinus, scriptores Aetnae et Nucis et elegiarum de Maecenate, auctores Priapeorum ... adeoque ab Augusti certe aetate vel durioribus usi modulis rarissime admiserunt elisionem, de qua agitur, nec fere extra primum et quintum pedem. Itaque ter eademst usus Catullus in hexametris continuis (64, 211. 359. 366) 'sospitem Erechtheum' 'corporum acervis' 'copiam Achivis', bis Ovidius (am. III 6, 101; met. VI 524) 'fluminum amores' 'virginem et unam', bis Iuvenalis (6, 151. 14, 73), semel Lucanus (1, 231)'. Quibus elisionis vetitae legibus factum est, ut una tantum neutrorum forma ad hexametrum et pentametrum quadraret, nimirum forma in a desinens. Singularis enim totus ab heroico versu exclusus est, si genetivum silentio neglegis, quem poetae metro inserere non poterant nisi contractum [3]. Ergo cum poetis omnium illarum vocum unam tantum formam metro dactylico immittere liceret, miri nihil praebet, si pluraliter utebantur illis nominibus cum singularis notione — sine omni sensus discrimine. Quae cum ita se habeant, recte cum Maasio concludemus, si in vocabulis omnium generum — videlicet in abstractis et concretis vocibus quibus regio significatur vel corporis pars — id statuendum sit, de reliquorum pluralium natura idem iudicandum esse: significationis discrimen inter numeros intercedere nullum.

1) L. Mueller, de re metr.² p. 342. 343. 347; P. Maas l. c. p 488. 508.

2) Velut 91, 9 legis 'gaudium' ita ut terminatio ante praepositionem 'in' elisa sit.

3) Maas 409 sqq.

Accedunt alia neutrius generis substantiva, quae 'longa cum brevi coniuncta syllaba' pluraliter constant. Quorum nominum quamquam singularis versui inseri potest, tamen poetae praetulerunt numerum plurativum, qui propter syllabam brevem optime convenit cum metro. Quo in pluralium numero duo genera sunt distinguenda: et ea quae sunt secundae declinationis, velut bellum, donum, tergum, et quae continentur tertia declinatione, velut os, mel. Horum singularem versus quamquam patitur, tamen, quam quidem rationem probat usus, poetae monosyllaborum pluralem multo melius cadentem praeferunt, non solum praeceptis euphonicis impulsi, sed imprimis quia haec nomina saepe sunt coniuncta cum additamentis, quorum singularis metro repugnat. Denique commemoranda sunt tertiae declinationis neutra, quae singulariter duabus constant syllabis ita, ut trochaei speciem ostendant. Quorum casus recti et accusativus (nimirum singularis numeri) optime locum habere possunt in versu dactylico, sed saepissime pluraliter enuntiantur, videlicet ut brevium augeatur syllabarum numerus; plurativae enim formae cum integrum praebeant dactylum, poetis et epicis et elegiacis erant gratissimae. — Haec habui quae dicerem de nominativi et accusativi usu, qui casus imprimis adhibentur. Priusquam autem ad alia transeamus, pauca de ceteris casibus proferamus; nam etiam hac re poetarum rationem illustrari videbimus. Ablativo singularis, cum merum expleat dactylum — lūmĭnĕ —, non minus favent poetae quam casibus illis pluraliter usurpatis. Contra ablativus pluralis rarissime reperitur cum singularis sensu (exempla in indice sunt adnotata). Dativus singularis — lūmĭnī — cum speciem cretici ostendat, prorsus a metro dactylico abhorret, nimirum ex quo leges elisionis severioris valent. Qui compensatur pluralis dativo — hic autem ut ablativus pluralis non nisi ante consonam versui accommodari potest. Genetivus singularis qui ante consonas creticum efficit eoque metro repugnat, cum vocalibus commissus metro aptus est. Genetivus pluralis autem cum creticum in se contineat neque -um terminationem elidere permissum sit, omnino a versu exclusus est. Cum in monosyllabis tertiae declinationis similiter res se habeat, silentio ea transeamus. Restat ut de masculini et feminini generis nominibus agamus; qua in re eo ordine utemur, ut singulas declinationes perlustremus.

Primae declinationis substantiva [1]) quae ante exitum praebent syllabam longam, et singulariter et pluraliter ad metrum quadrant — velut cērā, mēnsā —; genetivus pluralis nullo paene loco occurrit, quamquam per se haec forma metro non respuitur. Ante vocales usurpantur pro ablativo, dativo, accusativo singularis formae plurativae ad hiatum evitandum. Item perfacile adaptantur metro quae voces ex duabus syllabis constant ita, ut prior sit brevis. Quarum omnes casus sunt apti excepto genetivo pluralis, quem hexameter non patitur nisi in IV. et VI. pede, pentameter omnino excludit [2]) — ex quo elisio terminationis -um evitatur. Eadem lex elisionum effecit, ut poetis earum vocum, quae ante exitum trochaei speciem ostendunt, solus nominativus singularis cum metro conveniret. Sed aliud quoque nominum genus in prima declinatione obviam fit, nimirum voces quarum nominativus singularis tribus continetur syllabis brevibus — velut hĕdĕrā vĭŏlā — quas in nominativo singularis et genetivo pluralis metrum non patitur —; secundae declinationis masculina pluraliter plerumque in accusativo dativo ablativo proferuntur pro singulari, videlicet ad elisiones evitandas. Maiores difficultates occurrunt in tertia declinatione. Monosyllaba [3]) quorum radix e brevi constat vocali — velut daps pix — in omnibus et singularis et pluralis casibus commoda sunt. Quae habent longam vocalem in radice, amittunt genetivum pluralis (velut arx). Quorum genetivi terminationi -is duae antecedunt syllabae breves — hĭĕmis — repugnant metro in ablativo singularis et genetivo, dativo, ablativo pluralis propter tribrachyn. — Nomina bisyllaba in -is formata quorum prior syllaba brevis est — velut cĭnis — deficiunt poetam in ablativo singularis et dativo, ablativo pluralis propter tres syllabas breves. Huc etiam trahendae sunt voces, qualis est lătex. — Nominum in -or cadentium, nimirum bisyllaborum, quae priorem syllabam habent brevem, velut săpŏr sŏnŏr trĕmŏr tĭmŏr, omnes casus aptae sunt poetis, sed praeferuntur dativus et ablativus pluralis. — In quarta declinatione agitur generaliter de accusativo singularis et pluralis, qui videlicet

1) Koene 39. 40.

2) Koene 6. 39.

3) Poetae praecipue pluralem praeferunt, ut elegantius et mollius versus cadant.

ante vocalem ad synaloephas evitandas deposcitur. Dativus singularis nominum, qualia sunt cūrrus vūltus, destituit poetam, item genetivus pluralis. Voces 1) quae priorem syllabam habent brevem, omnes casus offerunt.

Haec de eorum nominum rationibus, quae et singulariter et pluraliter a poetis in usum vocantur, sufficiant; nunc iam ad aliud me convertam et exemplis demonstrare conabor saepissime poetas coactos esse pluralem adhibere, ubi singularis attributi metro respuitur. Quibus in exemplis enumerandis eorum mentionem non faciam quorum attributum singulariter usurpatum creticum praebet; quod praecipue in additamentis accidit quae cum vocabulo neutrius generis coniuncta sunt; de his iam supra breviter diximus. Eorum autem numerus ingens est. Iam videamus quae exempla ad hanc rem peculiarem spectent: Ovid. a. a. III 126 'cāerŭlĕāē .. aquae' singularis 'cāērŭlĕă' non aptus est. Ov. a. a. III 10, 27 'tĕnĕrāē .. medullae' pro tĕnĕră'. — Verg. ge. II 64 'Păphĭāē .. myrthus' metrum formam 'Păphĭa' non patitur. Ov. fast. IV 895 'vota .. mĕlĭōră'; singul. 'mĕlĭŭs' repugnat versui. Ov. met. IV 134 'ora .. pallidiora' pro 'pallĭdĭŭs' (met. IX 57 'os .. expŏsĭtum'); met. XIII 369 (de Ulixe) 'pectora .. potiora' sing. 'pŏtĭŭs' ad metrum non quadrat. Item ex Pont. III 4,33 'frigidiora .. p.'; nam 'frigĭdĭŭs' aptum non est.

Quae exempla perfacile augeri possunt; sed ad nostram rationem demonstrandam sufficiunt quae attuli. Hisce opponam alia quibus contraria ratione elucet poetas nonunquam singularem praetulisse — videlicet in nominibus quae eodem sensu etiam pluraliter adhibentur —, quod pluralis attributi a metro abhorret. Catullus 62,57 'cum par conubium ...' sing. propter attributi pluralem incommodum, cum 'părĭă' tribrachyn praebeat. Substantivum autem ut in hexametro sedem habeat, non per quattuor syllabas pronuntiandum est, sed per tres, nimirum cum synizesi 2). — Verg. ge. II 18 'Parnāsĭă laurus'; metrum pluralem 'Parnāsĭāē' ob creticum non patitur. Verg. Ae. II 513 'vetērrĭmă laurus' | eadem de causa, cfr. 'vetērrĭmāē'. Itemque

1) Bisyllabae.

2) L. Mueller d. r. m. 302/3. Norden ad Verg. p. 285/6. Maas Arch. XIII 433—435. Bednara Arch. XV 542.

Verg. Ae. IV 4 'litus in Hēspĕrĭūm' cfr. 'Hēspĕrĭă', et VII 198 'litus ad Aūsŏnĭum' cfr. 'Aūsŏnĭă', et 229 'l... īnnŏcŭum' cfr. īnnŏcŭă'. Cuius generis exempla apud Ovidium permulta extant, velut epist. XVII 50 'Īcărĭūm l.' met. XV 77 'l. Ausonium' fast. V 656 'Inăchĭūm'. — Vergil. Ae. IX 417 'ălĭūd .. telum', quia forma 'ălĭă' non est apta. De eadem re antecedit (409) 'tela'. Videas quoque Ae. VI 13 'aūrĕă tela'. — Verg. Ae. IV 486 'sopōrĭfĕrumque papaver'; cfr. plur. 'sopōrĭfĕră'. Similiter Ov. trist. V 2, 24. — Saepius enim quam singularis vocis 'papaver' extat pluralis qui cum et theseos syllabam brevem et merum daclylum expleat, commodior erat poetis. Sed locis supra allatis metrum non admittebat pluralem quod attributum tribrachyn pluraliter contineat. 'Harena' vocis plurativo numero poetae saepissime utuntur, sed interdum additamentum pluraliter inseri non potest metro, velut Ov. trist. I 4, 6 'ērŭtă .. harena' plur. autem creticum efficit 'ērŭtāē'. Pariter res se habet in voce 'cera', quae cum idem significet ac tabulas ceratas, pluralis exspectatur, sed Ovidius am. I 11, 20 hoc sensu singularem adhibere coactus est propter attributum quod pluraliter cretici causa metro adaptari non potest: 'splēndĭdă cera'; cfr. plur. 'splēndĭdāē'. — Ov. fast. I 192 'mel dulcius' — praeter h. l. singularis tantum Pont. IV 2, 9 ante vocalem — forma 'dūlcĭōră' metro repugnat. — Vocis 'murmur' plur. plerumque exhibetur, quae forma propter merum dactylum poetis est gratissima, sed nonnunquam hac forma pleniore privantur, cum attributum eam non admittat, velut Ov. a. a. II 723 'murmur .. amābĭlĕ' cfr. 'amābĭlĭă'. Idem iudicandum est de vocis 'numina' usu: ubi poetae e plurativo numero lucrantur, sibi permittunt hunc numerum; et contraria ratione ponunt singularem, ubi attributum pluralis usum excludit. Exempli causa Ov. epist. XV 18 'lĕvĕ n.'; cfr. lĕvĭă. met. IV 451 'implacābĭlĕ n.'; cfr. 'implacābĭlĭă' trist. II 141 'placabile n.' V 3, 46 et 11, 20 'Cāēsărĕūm n.'; cfr. Cāēsărĕă. Sed eodem sensu plur. Pont. II 8, 37 'tua .. numina' (cfr. indicem). Saepissime vocis 'os' pluralis occurrit, praesertim cum poetae monosyllabis praeferant formas pleniores. Tamen interdum ubi pluralis propter attributum metro respuitur, singularis ponitur, velut Ov. met. V 234 'tĭmĭdūm .. os' propter tribrachyn 'tĭmĭdă'. XI 57 'ēxpŏsĭtūm os'; cfr. ēxpŏsĭtă. Itemque vocis 'pectus' singularis saepius

metro poscitur — attributi causa, ut exempla nonnulla afferam: Ov. am. III 10, 18 'vĭdŭūm p.' pro 'vĭdŭă'. epist. IV 23 'rude' pro 'rŭdĭă'. IX 161 'ăvĭdūm'; cfr. ăvĭdă. Si plura poscis exempla, videas quaeso indicem; hoc loco unum tantum commemoro: Ov. fast. III 771 'restat ut inveniam quare tŏgă līběră detur . . pueris'. Singularis generalis poetae non solum propter substantivum erat gratissimus, quod singulariter perbene thesim explet, sed imprimis attributi causa, quod pluraliter omnino metro adaptari nequit ('līběrāē').

Quibus exemplis satis demonstratum mihi videtur esse poetas promiscue et pluralem et singularem in usum vocare prout hic vel ille numerus accommodatior fuit. Et si omnia quae hoc in capite sunt exposita, maiore diligentia legeris, summo iure iis, qui inter singularem et pluralem aliquod sensus discrimen intercedere contendunt, opponere poteris significationis illud discrimen ergo casibus esse adstrictum, cum nonnullos singularis casus propter metri rationes poetae in usum vocare nequeant. Contra observationes comprobant in eodem versu eademque verborum comprehensione, ut iam supra diximus, poetas usos esse hic singulari illic plurali cum de eadem re tum in eodem vocabulo. Metri igitur necessitatem poetas coegisse, ut illa licentia uterentur, certissimum est. Accedunt autem aliae causae quae, quamquam non eadem sunt auctoritate, tamen aliquid in poetarum sermone valuisse constat — videlicet postquam usus pluralis poetici mediocriter diffusus est. — Primo loco nominanda sunt praecepta euphonica quibus efficitur, ut maior fiat versuum elegantia. Saepius enim quamquam nulla causa metrica poetas impediebat, quin singularem ponerent, tamen pluralem praetulerunt sive quod hoc numero adhibito elegantius et mollius versus cadebat sive quod eo *κακοφωνία* vitabatur quae audientis aures offendit (velut Ae. VI 154 'sic demum lucos Stygios . .' pluralis poeticus ut-um terminatio ter repetita evitaretur). Etiam propter perspicuitatem interdum poetis pluralis poeticus incommodus non erat. Nam nonnullis singularibus coniunctis saepe res est difficilis ad iudicandum primo obtutu, quo modo verba sint componenda. Non ita rara occurrunt exempla quae demonstrant pluralem poeticum positum esse propter concinnitatem. Etiam contraria ratio valet: pluralis poeticus usurpatur inter complures singu-

lares variandi causa. Denique poetae hanc numerorum permutationem sibi permittunt, ut dictionem a sermone orationis pedestris distinguant. Cum ad omnia illa fulcienda in indice suo loco exempla prolata sint, hic ea supervacua esse censeo.

§ 5. Quamquam omnibus momentis supra allatis permagnam vim inesse omnes viri docti concedunt, tamen iis nihil aliud in illa numerorum permutatione attribuendum mihi videtur esse nisi quod hanc licentiam effecerunt — quasi causam efficientem. Minime autem ad huius rei causam internam explicandam atque dilucidandam momenta illa sufficere censemus. Nam violentia atque vis nimis est magna, si poetae non nisi metro i. e. causis mere formalibus coacti formas inauditas antea ac plane novas sibi permittunt. Illa metri necessitate quam negare non possumus, quaestio sic mutatur, ut primum inquiramus quo modo factum sit ut poetis cedere liceret illi necessitati, quo iure talem usum sibi permittere potuerint. Quam quaestionem difficillimam, quae ad interiorem linguae vocabulorumque pertinet naturam, sic solvi posse arbitror: poetae Romani primum, ut hanc numerorum permutationem sibi concederent, Graecorum impulsi sunt exemplis. Nam Graeci, quos poetas Latinos imitatos esse nemo est qui nesciat, primum nomina in quibus materia quaedam inest, et pluraliter et singulariter elata ita usurpant ut idem significent numeri. Deinde sic exhibentur nomina quae corporis membra denotant. Tum voces 'quibus continentur regiones ac loca' .. et alia (in indice nomina Graeca adnotavimus quae vocabulis Latinis respondent, ut unumquodque nomen quae habuerit fata cognoscas). Accedit alia analogia quae poetici pluralis progressioni fuit adiumento: sermo communis in iis nominibus, quae pluralia tantum vocantur, plurativas praebebat formas pro notionibus singularibus; 'vel apud oratores latinos nonnulla vocabula pluralia tantum enuntiabantur, in quibus numeri vis temporis diuturnitate in oblivionem data erat' [1]). Permagni etiam horum vocabulorum analogia quin momenti fuerit, omni dubitatione caret [2]) neque tertia analogia neglegenda est: item obviam fiunt in oratione soluta nonnulla nomina, quae singulariter et pluraliter in usum vocantur ita ut nulla extet inter utrumque

1) Appel p. 16.
2) Exempla invenies apud Maasium p. 490.

numerum differentia — velut nix nives; gingivae. — Accedunt nomina quorum notioni primariae inest sensus plurativus — velut latices lymphae frondes (cfr. Maas 525 n); quorum ex analogia alia sunt pluraliter posita. Ultimo loco mihi commemoranda sunt nomina abstracta quorum pluralis 'ad principalem notionem concretam singularis numeri est revocandus' [1]), exempli causa 'amores', quae vox pluraliter prolata etiam in comoedia (ergo etiam in sermone cottidiano) significat puellam vel puerum amatum. Quarum analogiarum quin unaquaeque aliquid in pluralis poetici usu valuerit, dubium non est. Praeterea id quoque semper in memoriam vocare debemus: quamquam poetas Romanos ad illam licentiam non sine Graecorum exemplis atque imitatione adductos esse constat, tamen talem numeri plurativi usum sibi non permisisse dicemus nisi principia eiusmodi dictionis in sermone vulgari poetae iam repperissent. — Hisce rebus expositis satis apparere puto, quibus de causis atque quomodo poetae ad hanc dicendi rationem devenerint.

§ 6. Nunciam accedamus ad quaestiones nonnullas peculiares atque agamus de circumlocutionibus quibusdam poeticis et de appositionibus plurativis. Redeamus ad Maasii definitionem: pluralem poeticum omnibus locis statuendum esse ubi prosa oratio a poesi nondum infecta singularem positura fuerit. Qui vir doctissimus omnes locos qui cum scriptorum ratione dicendi conferri non possunt, excludendos esse censet. Quamquam omnibus fere locis Maasii commentationem optimam comprobandam esse puto, tamen hac in re non plane ei adstipulor. Maasius ergo circumlocutiones illas poeticas quae fiunt per voces 'caeli templa', 'limina solis' 'marmora pelagi' et appositiones plurativas, cum in oratione soluta analogiam non habeant, pro pluralibus poeticis habendas esse negat. Contra ego quidem Maasii definitionem aliquatenus amplificandam esse mihi persuasi. Nam alieni generis illi plurales esse mihi non videntur atque ceteri plurales poetici, sed verba ipsa pro se discutienda sunt sive in figura poetica versantur sive alio dicendi genere continentur. — Atque primum animos intendamus

1) Langen, Beitr. z. Kritik u. Erklär. d. Plaut. p. 106/7. Riemann, Étude sur la langue (et la gramm.) de Tite-Live p. 63—71. Hailer, Beitr. z. Erklär. d. poet. Plur. p. 20. Bednara p. 535.

ad circumlocutiones illas poeticas. De qua locutione Quintilianus perbene dicit, 'translatio permovendis animis plerumque et signandis rebus ac sub oculos subiciendis reperta est'; cum poetarum ipsorum sermone sit propria, vere poetica mihi videtur esse. Accedit ut, si praeceptis logicis nisus argumentationem facies, non dubitaturus sis quin plurales eius generis re vera poetici intellegendi sint, quamquam in oratione pedestri illas circumlocutiones obviam non fieri, potissimum poetas illas in usum vocare concedendum est. Sed ea ipsa de causa plurales illi pro poeticis habendi mihi videntur esse. Hisce praemissis paulo accuratius exempla illa examinemus atque inquiramus, quo modo poetae ad talem usum, qui a ratione dicendi pedestri discedit, usurpandum sint adducti. Quamquam Slotty[1]) iam uberius de translatione 'templa deum' egit, tamen hanc rem, cum habeam quae addam, iterum tractare mihi liceat. Duae imprimis sententiae proferuntur ad elocutionem 'templa caeli' explicandam. Slotty (l. c. p. 19) originatione vocis 'templum' nisus argumentationem facit ita, ut reiciat eorum opinionem qui de caeli locis interioribus cogitandum esse censent. Cui explanationi idem putat obsistere quod nomen 'templum' plerumque coniungitur cum additamento 'caerula', quo impediatur altera interpretatio. — Cui argumento nescio an alterum addi possit, nimirum verba 'commixta stellis splendidis' (sc. templa) item ad caeli loca interiora non quadrare. Sed haec argumenta me quidem iudice non habent tantam vim, ut altera interpretatio excludatur. Slotty ergo 'templa caeli' non nisi ad hemisphaerium referenda esse contendit. Quam sententiam Varro tueri videtur l. l. VII 7: 'a tuendo primum templum dictum, quocirca caelum, qua attuimur, dictum templum'. Sed quanta Varronis originationibus auctoritas sit tribuenda nemo est qui nesciat[2]). Mea quidem sententia nullus homo Romanus, cum legeret illa verba, originationem in mentem sibi revocavit. Quae cum ita sint, ad Slottyi sententiam accedere non possumus. Inquiramus ergo, utrum altera explicatio locum habeat an omnino de hac poetarum dictione nihil pro

1) L. c. 19. K. F. Hermann, Gottesdienstl. Altertümer d. Griech. [2] 101. 108. Nissen, d. Templum, Berl. 1869. Bötticher, Tektonik 4, 23.

2) Cfr. exempli causa quomodo Varro in r. r. I 2, 14 de via et villa udicaverit.

certo diiudicare possimus. Frobenius[1]) 'templa caeli' idem denotare putat atque domum caelestium, 'die geräumige Behausung der himmlischen Götter'. Cui viro docto primum oppono pluralem minime habere vim epitheti ornantis, ergo additamentum 'geräumig' supervacuum esse. Tum de explicatione quae fit per vocem 'Behausung' dubitari potest. Videamus nonnulla exempla: Ennius A. 65 'unus erit quem tu tolles in caerula caeli Templa'[2]) (ubi de Romulo agitur); scen. 196 'o magna templa caelitum commixta stellis splendidis'; et alia quae in indice collecta sunt. Hic addo tantum A. 541 'contremuit templum magnum Iovis altitonantis'. Apparet ubi de compluribus deis agitur, vocis 'templum' pluralem adhibitum esse, contra de Iovis solius domicilio singularem. Quare illis locis, ubi plurativus numerus occurrit, unam et magnam deorum domum intellegendam esse nego, sed de compluribus domibus cogitandum esse. Videlicet in hac re verba premenda non esse, cum veterum sententiae de rebus divinis essent incertae. Itaque Radermacherus[3]) iis qui veteribus obiciunt, quod in illis rebus sibi non constent, recte opponit: 'das Volk nahm an solcher Verwirrung keinen Anstoss, weil seine Phantasie . . an dogmatische Schranken nicht gebunden war'. Mea quidem sententia pluralibus illis sensus plurativus denegandus non est. Qua explicatione etiam elocutiones aliae, quae per analogiam illius fiunt, intellegi possunt facilius, nimirum translationes velut 'Acherusia templa' et 'Neptuni . . templa' (de mari)[4]). Quibus in elocutionibus originatio locum habet nullum. Quae cum ita sint, ego quidem censeo de hisce elocutionibus pro certo nihil dici posse, cum parum sciamus, quo modo veteres de illis rebus cogitaverint.

Nunc iam ad aliam translationem explicandam animos intendamus, nimirum ad verba 'limina solis', quae pluraliter Catullus[5]) primus in sermonem poetarum Romanorum induxit. Pulcherrima etiam nobis circumlocutio illa videtur esse; nam perbene ille locus, ubi caelum et mare cohaerere videntur

1) p. 7.
2) Cfr. Cicero d. republ. VI 24.
3) Das Jenseits p. 32 (1903).
4) Cfr. Plaut. Rud. 909. Mil. Glor. 413.
5) 64, 271.

et cottidie sol enascitur 'limen solis' appellatur [1]). Quae translatio ad Homerum referenda est qui de caeli limine et porta loquitur in Il. A. 591 *ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο* et E 749 *αὐτόμαται δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ.* De solis porta Od. ω 12 *παρ' ἠελίοιο πύλας.* Qua in re poetas Romanos Homerum secutos esse vix est cur moneamus. Ennius in A 615 (V.) et eum ad verbum imitatus Vergilius in ge. III 261 dicunt 'porta tonat caeli'; similiter Ennius in epigr. IV 24. Accius novit 'limen caeli' in trag. 531. Quo sensu Catullus primus pluraliter vocem 'limen' exhibet 64, 271 'Aurora .. sub limina solis' [2]). — Qua dictione etiam Ovidius usus est trist. V 11, 25 'caeli tibi limina claudant'. Et singulariter eodem sensu Silius Ital. translationem illam exhibet V 25 'Tithonia coniunx .. stabatque nitens in limine primo ..' Eandem versus terminationem in Vergil. Ae. VI 427 invenimus. Etiam alio loco Silii Ital. immutatio cognoscitur, nimirum XVI 299 'novum .. pariebat limine primo Egrediens Aurora diem'. Qui locus cum Vergil. A VI 255 comparari potest, ubi extat: 'ecce antem primi sub limina solis et ortus' [3]). In illis vocibus inesse pluralem poeticum ego quidem contendere audeo argumentis nisus supra demonstratis.

Nunc iam inquiramus aliud genus pluralium, quos ego quidem poeticos esse volo, quamquam nonnulli viri docti (velut Maasius) eos in quaestionibus de plurali poetico institutis omittendos esse censent eadem de causa qua circumlocutiones neglexerunt, videlicet eo quod facultas eos comparandi cum

1) Slotty p. 19.

2) Sic scribendum esse — non 'lumina' Slotty p. 18 et Friedricus in comment. Catull. ad h. l. ostendunt.

3) Limina, non lumina legendum esse recte monet Norden in comment. ad h. l., cuius viri doctissimi sententia exemplis in indice nostro collectis etiam confirmatur, cum sit lectio difficilior, videl. 'limina'. Pauca habeo quae ad ea quae de translatione 'limina solis' protuli addam. Per analogiam illius immutationis illud Lucretii fictum est: 'limina leti' VI 1208. Sed de eadem re singularis quoque obviam fit videlicet ablativus isque i. V. p. II 960 'leti iam limine ab ipso'; eadem verba VI 1208. Restat ut similis elocutionis mentionem faciamus quae item ad Graecos nos reducit. Apud Lucretium enim legimus III 67 'leti portas', quae dictio spectat ad Homeri *Ἀΐδαο πύλαι.* Eodem sensu Lucretius utitur voce ianua, sed singulariter (pluralis enim creticum efficit 'iānŭae'), I 1112 'ianua leti'. Iam Plautus similiter dicit in Bacch. 367 'aperite propere ianuam hanc Orei'.

usu pedestris orationis data non est. De appositionibus ergo plurativis pauca proferam, quae in offensionem nostram cadunt, quia ad nominis singularem referendae sunt. Etiam in hac dicendi ratione poetae Romani imitati sunt Graecos. Qua de causa cum in tota pluralis poetici quaestione solvenda imprimis ad Graecorum usum intendere animos necesse sit, etiam in hac re primum exempla paris usus examinemus qui apud illos fit. Homerus primus plurativam appositionem sibi concessit *Υ* 268 *χρυσὸς γὰρ ἐρύκακε, δῶρα ϑεοῖο.* Theog. 1293 *γάμον, χρυσῆς Ἀφροδίτης Δῶρα.* Hs. sc. 312 *τρίπος, κλυτὰ ἔργα περίφρονος Ἡφαίστοιο.* Soph. Phil. 35 *αὐτὸ ξυλόν γ' ἔκπωμα, φλαυρουργοῦ τινός Τεχνήματ' ἀνδρος'.* Eur. Hipp. 11 *Ἱππόλυτος, ἅγνου Πιτϑέως παιδεύματα.* Orest. 1053 *καὶ μνῆμα δέξαιϑ' ἕν, κέδρου τεχνάσματα.* Eandem dicendi rationem in poetarum Romanorum sermone invenimus, ubi initium Vergilius fecit qui in Ae. V 359 dicit 'clipeum efferri iussit, Didymaonis artis', quo loco Ladewigus 'artis' genetivum false intellegendum esse censet pro accusativo pluralis. Neque ad suam opinionem fulciendam hunc locum comparare debebat cum Ae. VIII 377 'arma rogavi Artis opisque tuae' neque cum Prop. III 9, 42 'Palladiae ligneus artis equus'. Eiusdem generis exemplum habes Ae. VI 26 'Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae', et VI 10 'horrendaeque procul secreta Sibyllae, Antrum immane, petit'. VI 179 'itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum'. Idem usus valet apud Propertium IV 1, 10 'unus erat fratrum, maxima regna, focus', et apud Ovidium epist. III 149 'nostram, tua munera, vitam' nostram i. meam (sc. Briseidos). XI 19 'infestum, funebria munera, ferrum'. Sapph. 181 'chelyn Phoebo, communia munera, ponam', am. III 8, 50 'caelum, tertia regna, petis', met. XV 163 'cognovi clipeum, laevae gestamina, nostrae' quocum exemplo compares Verg. Ae. III 286 'clipeum, magni gestamen Abantis', ubi poeta ante vocalem singularem in V. p. versui immittere poterat. — fast. VI 611 'templum, monimenta patris', epist. XIII 159 'corpusque tuum, mea numina, iuro' (Laodamia de Protesilao). trist. II 179 'fulmenque tuum, fera tela, reconde', met. X 197 'tuum, mea crimina, vulnus'. Posteriores quoque poetae hanc dictionem imitati sunt, velut Silius Italicus VI 648 'ingentem . . taurum, Dona Iovis'; Statius Theb. II 586 'ensem ... Mavortia munera'.

Hoc loco etiam attributa plurativa quae ad substantivi, de quo aliquid declaratur, singularem referenda sunt, exemplis fulciamus. In hoc quoque usu, qui nisi apud poetas Romanos obvius non est, Graeci praebebant exempla et poetae et scriptores (imprimis oratores). Primum Homerus hanc dictionem usurpavit P 255 *Πάτροκλον Τρῳῇσι κυσὶν μέλπηθρα γενέσθαι.* Sequitur Herodotus VI 119 *Μίλητε . ., πολλοῖσιν δεῖπνόν τε καὶ ἀγλαὰ δῶρα γενήσῃ.* Isae. VII 40 *ὧν μνημεῖα τῆς ἐκείνου φιλοτιμίας ὁ τρίπους ἐκεῖνος ἕστηκε.* Quem usum poetae Rom. sibi concesserunt, velut Verg. ecl. V 71 'vina novom fundam . . Ariusia nectar', Ae. IV 455 'fusaque in obscenum se vertere vina cruorem'. Ovid. met. X 571 'praemia veloci coniunx' (sc. Atalanta).

Quas dicendi rationes cum non nisi apud poetas valeant, ea ipsa de causa poeticae dicendae et plurales illi pro poeticis habendi mihi videntur esse. Quibus de causis Romanorum poetae ad talem usum adducti sint, nemo est qui hoc ex iis quae in paragraphis IV et V de pluralis poetici natura exposuimus, non intellegat.

§ 7. Nunc demum paucis agamus de pluralis poetici historia. Primo obtutu admirationem nostram provocare debet, quod in poetarum et elegiacorum et epicorum carminibus numerorum illa permutatio obviam fit, contra priscum illum et popularem versum saturnium quem vocant omnino carere hac dicendi ratione et tragoedias rarissima praebere exempla. Sin autem accuratius inquiremus, huius rei radicem inveniemus in ipsa linguae latinae natura. Nam quod nullum poetae admiserunt pluralem poeticum in versibus 'quos olim Fauni vatesque canebant', hoc ea de causa factum esse videtur quod poetae in illo metro, cum ex iambis praecipue et trochaeis constet, quibus lingua latina favet natura, non indigebant tali licentia. Eodem modo de tragoediis iudicandum est. Aliter autem res se habet in carminibus dactylicis: lingua latina enim, cum natura abhorreat a metro dactylico et anapaestico itaque imprimis hexametro et pentametro idonea non sit, Ennius qui versum heroicum Graecos imitatus in Italiam transtulit, et posteriores poetae, ut linguam metro adaptarent, praecipue ad id animos intendere debebant, quo modo efficerent ut molliter et eleganter versus caderent, i. e.

ut brevium syllabarum numerum augerent. Qua in re neque operae parcebant neque artes varias et dolos, ut ita dicamus, contemnebant; sic factum est ut poetae epici et elegiaci ad permutationem illam numerorum adducerentur. Quod in universum sufficiat dixisse. Nunc iam inquiramus, quo modo magis magisque pluralis poetici usus increbruerit, atque incipiamus ab Ennio, qui est pater hexametri latini et pluralis poetici. Sed in parvo tantum verborum numero hac licentia usus est, quam ceteroquin eo evitavit quod elisiones [1]) sibi concessit plurimas, quibus uti posterioribus non licebat, et spondeis maxime favebat. Sic factum est, ut Ennii versus spondeis abundantes gravitatem quandam prae se ferrent neque duritia essent expertes. Quod quidem miri nihil praebet, cum ars hexametros compingendi fuerit adhuc, ut ita dicam, in pueritia et primis initiis. Nihilo minus aures nostrae offenduntur versuum terminationibus quales sunt A 201 'cum magnis dis' (cfr. Verg. Ae. VIII 679) et 191 'silvâï fróndosâï'. Ennius, quamquam normas quas migrare posterioribus concessum non erat, non raro neglexit [2]), tamen iam operam dedit, ut quintus heroici versus pes mero expleretur dactylo. Itaque hoc versus loco etiam apud Ennium reperiuntur plurarles poetici, praecipue neutrorum quae ante exitum trochaeum praebent. Ennius etiam in scenicis nonnulla pluralis poetici exempla profert. Mirandumne id est? Minime. Nam hic poeta utrumque poeseos genus coluit ita, ut in annalibus hexametrum adhiberet — qui versus plurales eiusmodi ut ita dicam postulabat —, in scenicis autem ceterisque poematis quamquam etiam in Graecis exemplaribus, quae ei ante oculos erant, plurales poeticos non raro inveniebat, tamen illam dictionem, ut quae esset inusitata, evitabat ubi fieri poterat, quod, cum lingua latina plurimos, ut supra diximus, trochaeos et iambos poetis suppeditaret, eo facilius erat. Cicero et Lucretius ut in rationibus metricis ita etiam in plurali poetico usurpando, generatim quidem, Ennium secuti sunt. Cicero, cuius dictio in orationibus expedita est et perfacile currens, eandem elegantiam assecutus non est in poematis quae speciem hexametri ostendunt. Nihilominus Ennium superat aliquatenus. Nam praeter quintum pedem etiam ad primum

1) PWRE.
2) Keller, Gramm. Aufsätze 192. 193.

pedem animum intendit et curavit, ut versus a mero dactylo inciperent. Accedit ut pluralem poeticum usurparet in nonnullis vocabulis, quae antea cum illa licentia in usum vocata non erant. Lucretius etiam maiorem curam attribuit hexametri initio et quinto pedi; quare ei magno erant adiumento plurales poetici, quorum numerum auxit. In universum haec etiam de Catullo dicenda sunt. Nova autem pluralis poetici aetas incipit a Tibullo et Vergilio. Cuius fundamenta posita sunt Sullae temporibus, ex quo leges elisionis vetitae, de quibus supra accuratius egimus, valent. Qua re effectum est, ut poetae facultate, quae iis in vocibus omnium declinationum et generum metro dactylico accommodandis maxime erat commoda privati ad alia auxilia confugere deberent. Quod si tecum reputaveris, intelleges quo modo factum sit, ut pluralium poeticorum numerus inde ab illo tempore tantopere augeretur. Nunc enim re vera de metri necessitate dicere possumus. Quare Vergilius illas voces, quarum usus plurativus cum singularis notione inde ab Ennio publice paene receptus erat, adhibere non satis habuit, sed etiam ad nominum genera quae antea ut singularia tantum hominibus erant nota, hanc licentiam promovit. Quorum nominum analogia cum in lingua latina exstaret nulla, poeta usu plurativo sensum et aures populi offendit. Sic ille versus Bavii et Maevii ortus est, quo in ludibrium vertitur immanitas illa verborum: 'hordea qui dicit superest ut tritica dicat'. — Ovidius in carminibus compingendis ad summam formae elegantiam pervenit et omnes Romanorum poetas valde vicit arte sua. Qua effecit ut versus elegantissime facillimeque caderent. Hoc maxima ex parte assecutus est pluralibus poeticis, quorum usum ad summum duxit fastigium. Qua in re impedimentum nullum iam obstitit, cum Vergilii carminibus, quae magnopere frequentabantur, homines ad omnes plurales poeticos tolerandos assuevissent neque ullo iam offenderentur. Quod priores poetae anxii et nisi metri necessitate coacti non audebant, hoc Ovidius propter commoditatem saepissime nulla causa metrica cogente sibi permisit et imprimis operam dedit, ut versuum rhythmum augeret, qua in re plurativae illae formae poetam valde adiuverunt. Apud Ovidium quasi lex est sancita, ut primo hexametri loco dactylus merus extaret; et, si primo loco substantivum ponitur, additamentum sequi in V. p. necesse est

(videlicet etiam contraria ratio valet). In pentametro autem non solum primus pes mero dactylo contineri, sed etiam post caesuram i. e. quartus et quintus pes dactylorum speciem ostendere opus est. Quae cum ita sint, non est mirum quod multo maiore dactylorum numero opus erat Ovidio et posterioribus poetis quam prioribus, ut haec praecepta observarent. Ita factum est, ut apud Ovidium illa numerorum permutatio adeo increbresceret, qui poetica cum hac licentia plus ducentis nominibus usus est.

Quibus expositis satis demonstratum esse puto quae sit pluralis poetici historia. Ut omnia breviter conclusionis instar comprehendamus, hoc dicimus: pluralis poetici usus non omnibus temporibus idem fuit. Sed Ennius Cicero Lucretius Catullus multo cautiores erant in eius usu quam recentiores velut Vergilius et Ovidius. Veteres illi poetae in parvo tantum vocabulorum numero hanc licentiam sibi permiserunt. Quod illi propter necessitatem fecerunt, id recentiores commoditati tribuerunt. — Poetae Romani et epici et elegiaci permagna digni sunt laude, quod summis difficultatibus superatis et summa opera et labore consumpto interdum non sine variis artibus atque dolis adhibitis metrum linguae latinae plane repugnans non solum linguae congruens fecerunt, ita ut ratione tollerent dactylorum inopiam, sed etiam mirabili illa constantia atque perseverantia ad talem perfectionem absolutionemque pervenerunt in hexametris compingendis, ut, paene dixerim, exemplaria Graeca superarent hac arte. Quod Ennius aperuit, id Ovidius ad praestantiam perduxit ita, ut summo iure versum dactylicum quasi civitate Romana donatum esse dicamus.

INDEX.

Usus sum hisce compendiis: pps = pluralis pro singulari positus i. e. pluralis poeticus; i. I. (vel II. vel III. vel IV. vel V.) p. = in primo etc. hexametri pede; p. pent. caes. = post pentametri caesuram; ante cons. = ante consonantem; ante voc. = ante vocalem.

abrotoni. Plur. apud Lucret. IV 125 'abrotonique graves'. Singul. Lucan. IX 921 'abrotonum‿et'. Horat. epist. II 1, 114 'abrotonum‿aegro' [1]).

aconita [2]). Servius ad Verg. ge. II 152 adnotat: 'dicimus *τὸ ἀκόνιτον καὶ τὰ ἀκόνιτα*'. Plinius et sing. et plur. promiscue adhibet, posteriores scriptores plur. praeferunt. Apud poetas regnat pluralis praeter Ov. met. VII 407 'aconiton' ante voc. pps primum apud Vergilium obviam fit, nimirum i. ge. II 152 'aconita' i. V. p. ante cons. Sequitur Ovidius art. III 465 'et dare mixta viro tritis aconita cicutis' et attributi et subst. causa, quia 'mixtum' ante cons. spondeum effecisset itemque ăcŏnītūm' ante cons. Similiter met I 147 'lurida terribiles miscent aconita novercae'.

aditus. Proprio sensu Lucretius IV 330. Verg. ge. IV 35. Ovidius met. XII 44 et saepius. pps Vergilius Ae. IX 67 'qua temptet ratione aditus‿et'; cfr. 505 'quaerunt . . . aditum et scalis ascendere muros'. 683 'inrumpunt aditus Rutuli ut videre patentis'; cfr. 675 'portam . . recludunt'. XI 525 'tenuis quo semita ducit Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni'. V 441 'nunc hos nunc illos‿aditus‿omnemque pererrat Arte locum'. XI 766 'hos aditus‿iamque hos aditus‿omnemque pererrat . . circuitum'. IV 423 'sola viri mollis‿aditus‿et tempora noras'. 293 'tantos rumpi non speret amores Temptaturum aditus‿et

1) Weise, Die griech. Wörter im Latein p. 326.

2) Bednara p. 541. Weise, Die griech. Wörter im Latein p. 143. 338.

quae mollissima fandi Tempora'. Tibullus II 4, 19 'ad dominam faciles‿aditus per carmina quaero'. Ovidius epist. XVII 44 'si quis tibi claudere vellet aerios‿aditus'. Rem. 120 'difficiles aditus impetus omnis habet'. Met. XII 66 'prohibent aditus litusque tuentur', sc. hostis classe advecti; cfr. Cic. Verr. VI 6. Pont. III 3, 91 'faciles aditus praebet venerabile templum'; a. a. I 163 'hos aditus circusque novo praebebit amori'. III 442 fortasse proprio sensu.

aequora[1]) — πελάγη[2]). Cum pluralis et singularis ab uno eodemque poeta promiscue in usum vocetur sine ullo sententiae discrimine, difficile est omnibus locis veram numeri naturam intellegere. Sed plerumque pluralis dicendus est poeticus: forma plurativa poetis in versibus componendis maxime erat commoda — eodem modo atque abl. sing., qui casus non minus saepe invenitur et in V. et I. hexametri pede. — Sensu primario pro planitie poetae exhibent cum singularis notione. Primus Ennius pps A. 137 i. V. p. Eodem versus loco Lucretius III 1002 'aequora campi'. IV 108 'aequora mundi'. Haec vox etiam ad mare denotandum exhibetur; pps inde ab Ennio A. 478. Lucretius 'aequora' ponti I 8. II 772. VI 440. Idem Vergilius ge. I 469 et Tibullus III 4, 85 'nam te .. genuerunt aequora ponti' — semper in V. pede. Quem versus exitum ad Ennii 'aequora campi' spectare puto. Inverso verborum ordine apud Lucr. IV 410 et V 1001. II 1. Sine additamento quod mare denotat, extat pluralis, quibus locis pluralis natura vera difficilis est cognitu, Lucr. II 766. V 266. 388. VI 624. V 1227. Vergilius ge. I 206. III 201. 261. A. I 43. 142. 154. 164. II 69. 176. 419. III 197. 290 'certatim socii feriunt mare et aequora verrunt'. Idem V 378. 403. 413 'laeva petantur Aequora, dextrum fuge litus 662. 668. 778. IV 240. 255. 523 'saeva quierant aequora'. V 235. 763 'straverunt aequora venti'. 843. VI 171. 355 (ubi de compluribus quoque maribus cogitari potest, itemque 692). VII 7. 728 'Sidicinaque iuxta Aequora'. VIII 674. IX 119 'demersis aequora rostris Ima petunt'. X 660 (cfr. 665 quo loco de eodem mari extat 'aequore'

1) Appel p. 17. Spitta 45. Braumueller I 12. Overholthaus 6. Hailer 4. Slotty 14—15. 40. 48. Bednara 555.

2) Witte 7 etc. pluralis apud Homerum uno tantum loco ε 335, nimirum dativus.

i. V. p.). Propertius I 8, 20 'te . . accipiat placidis Oricos aequoribus'. I 14, 12 'rubris . . sub aequoribus'; cfr. Rothstein in comment. ad h. l. I 15, 10 dat. forma rarissima. II 16, 38 'Actia aequora'. III 7, 37 'maris Aegaei . . aequora'. III 15, 31. III 21, 11 'propellite in aequora navem'. Ovidius pps epist. XVII 137 'Athamantidos aequora' (V.) i. Hellespontus. De eadem re cfr. 139 'hoc mare'. XVIII 155 de mare quod inter Sestum Abydumque spumat: 'aequora' i. V. p. A. am. II 87 et 96 'aequora nomen habent', agitur de mari quod nomen traxit ab Icaro. Met. II 872 'mediique per aequora ponti' de Europa rapta. 291/2 'illi (sc. Neptuno) tradita Aequora'. De mari toto quaestio est — pluralis locum habere potest. III 657 'impellit aequora remis'. XIII 948 'corpusque sub aequora mersi' (sc. Glaucus). XIV 8 'Tyrrhena per aequora' (V.). Trist. I 4, 5 'nigrescunt aequora ventis'; eodem sensu anteit i. v. 3 'aequor'. De nom. et acc. sing. usu videas quaeso Bednarae commentationem l. c.

alia[1]). Plaut. singulari tantum utitur. Ubi singuli frutices numerantur, plur. poeticus esse non potest; sic Moret. 89 pps Moret. 102 'pistillo . . fragrantia mollit Alia' (attrib. in V., subst. i. I. p.); Verg. ecl. II 11 'Testylis . . messoribus Alia (. . contundit) serpullumque herbat contundit olentes' (i. I. p.). Mor. 101 'postillo . . fragrantia mollit Alia . . .' attrib. i. V. et subst. i. I. p. cfr. v. 89 'quattuor educit cum spissis alia fibris'. Varro Men. 244, 2.

vox antra — ἄντρον a Graecis deprompta demum a poetis novellis exhibetur. pps primum in Ovidii met. invenitur, nimirum I 262 'Aeoliis Aquilonem claudit in antris', ad synaloepham evitandam. De uno tantum antro agi apparet e Verg. Ae. I 52. Praeterea in fabulis traditum est Aeolum ventos in antro quod Liparae in insula vel Strongylae vel in Thessalia situm erat, vinctos tenuisse. Itemque pps extat in met. III 177 'intravit rorantia fontibus antra'; de uno Dianae antro agi elucet e v. 157. VIII 822 de Famis antro 'inque domos‿inopes,‿adsueta revertitur antra'. De Sibyllae antro plur. occurrit in V. pede XIV 104 'antra Sibyllae'. De eadem re extat sing. VI 10 'Sibyllae Antrum immane'. Cfr. etiam Lycophron. 1279 στυγνὸν Σιβύλλης οἰκτήριον.

1) Maas l. c. p. 506. 508. Neue 614.

Scriptores posterioribus demum temporibus hoc vocabulo utuntur: Plin. Petron. Christiani. Deest apud Neuium.

apsinthia. Plautus saepius, sed non nisi singulariter hac voce utitur. Itemque scriptores posterioris aetatis ut Plinius, Varro, Celsus, Quintilianus alii. Lucretius primus pluralem usurpavit, nimirum quinquies: I 936 'pueris apsinthia taetra medentes ... dare' i. V. p. eadem verba IV 11. 124 'apsinthia taetra' (i. V. p.). 224 'dilutaque contra ... apsinthia', attrib. i. V., substant. i. IV. p.; eadem verba VI 934. Gen. sing. duobus locis i. I. p. ante cons.: I 940 'apsinthi laticem' idem IV 16, II 400 (cfr. Maas l. c. 508). Ovidius ter plur. exhibet: trist. V 13, 21 'cana prius ... desint apsinthia Ponto', eisdem versus locis Pont. III 1, 23 'tristia per vacuos horrent apsinthia campos', itemque 8, 15 'tristia deformes pariunt apsinthia campi'.

Vocabuli arae pluralis quo poetae inde a Vergilio saepissime utuntur ad unam tantum aram significandam per analogiam nominis 'altaria' quod optimorum scriptorum temporibus plur. tantum est — christiani demum singulari utuntur; cfr. Neuium I 689 — in poetarum sermonem cum illa poetica licentia introductum videtur esse. Primum pps extat in Lucretii lib. I 89 'ante aras‿adstare parentem Sensit', ad synal. evitand.; et I 95 'tremibundaque ad aras Deductast'. Quibus in exemplis de Iphigenia agitur quae ad 'Triviai virginis aram' (v. 84) mactandi causa ducitur. Vergilius pps Ae. I 349 'ille Sychaeum ... ante aras‿atque ... ferro superat', ad synal. evitand., nulla cogente causa metrica, sed nescio an plurali poeta **m** litterae repetitionem cumulatam evitare voluerit. II 202 'taurum ... mactabat ad aras'. 574 'abdiderat sese atque aris invisa sedebat' (sc. Helena). 663 'patrem qui obtruncat ad aras', fortasse III 118 (aris). 332 'patriasque obtruncat ad aras' sc. Orestes interfecit Pyrrhum ad aram quam Achilli patri Delphis exstruxerat. 545 'capita ante aras Phrygio velamur amictu'. IV 204 'ante aras', de eadem ara 219 'arasque tenentem audiit omnipotens'. De hac formula 'arasque tenentem' quae saepius in carminibus sacris occurrit cfr. Norden ad Verg. VI 124 p. 158. IV 676 Didonis soror Anna: 'hoc rogus iste mihi, hoc ignes araeque parabant?' V 86 'lapsusque per aras'. VI 124 'arasque tenebat'. 252 'Stygio regi noc-

turnas‿incohat aras'. V. 237 'taurum Constituam ante aras voti reus . . .' VII 245 'Anchises auro libabat ad aras'. VIII 106 'cruor fumabat ad aras'. 179 'arae', i. v. 186 sequitur singularis, ubi de eisdem rebus agitur. XII 201 'tango aras'. 293 'oppositis a tergo involvitur aris'. Tibullus pps II 1, 15 'fulgentes‿ut eat. . agnus ad aras', v. 11 'discedat ab aris Cui . . tulit gaudia Venus'. II 2, 1 'venit natalis ad aras'. III 19, 23 'Veneris . . . considam vinctus ad aras'. Ovidius pps epist. VII 113 'occidit internas coniunx mactatus ad aras', de Sychaeo Didonis marito agitur. Epist. XX 93 'dumque parens aras votivo sanguine tingit'. A. a. I 319 de vacca quam Pasiphaë amore tauri incensa quod illam aemulam esse arbitratur 'sub iuga curva trahi' iussit 'aut cadere ante aras' (ante cons.). Met. VII 74 'ibat ad antiquas‿Hecates Perseidos aras' sc. Medea. Met. VIII 480 'ante sepulcrales‿infelix adstitit aras'. VIII 763 'ante aras‿ingens . . . taurus Concidit'. IX 782 'visa dea (sc. Isis) movisse suas,‿et moverat, aras'. XII 152 de una ara 'calentibus aris'. XIII 453 'crudelibus aris Admota est', sc. Polyxena quae Achilli mactaretur; met. XV 686 'antiquas‿abiturus respicit aras'. 723 'patrias Epidaurius aras Linquit'. Fast. III 862 'stant simul ante aras‿iuncta' (sc. Phrixus et Helle).

aratra[1]) pps inde a Vergilio invenitur, sed rarissime. Vergilius in ge. III 519 'opere in medio defixa relinquit aratra' propter singularem incommodum 'defixum'. Catullus plur. exhibet generaliter 64, 42 itemque Propertius II 4, 3 'primum taurus detrectat aratra', cfr. ad hunc locum Ov. pont. III 7, 15 'taurus detrectat aratrum'. Etiam Ovidius usurpavit pluralem generalem in arte II 184 'rustica paulatim taurus aratra subit'. De Spittae sententia, qui l. c. p. 34 ad ge. III 519 interpretandum 'de diversis aratri partibus' agi, quas poeta ge. I 169 descripserit, contendit, cum arcessita sit, nihil habeo quod addam.

arbitria pro 'arbitrium' semel apud Horatium carm. IV 7, 21 'cum semel occideris et de te splendida Minos Fecerit arbitria', attributi 'splendida' causa, quod singulariter in V. hexametri pede usurpari non poterat. Contra 'fecerit arbitrium' (–◡◡–◡◡–) ad metrum quadrat.

---

1) Cfr. Bednara Arch. 14, 541. Hailer l. c. p. 16.

arces[1]). Vergilius primus pluralem ad unius urbis arcem significandam sibi permisit. De Carthaginis arce A. I 20 Thyrias‿olim .. arces. II 615 de Troiae arce 'summas‿arces'. I 298 'novae pateant Carthaginis arces', contra 366 novae Carthaginis arcem. IV 347 'Carthaginis arces .. Lybicaeque aspectus .. urbis'; qui locus satis demonstrat in exemplis antecedentibus non de tota urbe vocem 'arces' intelligendam esse, sed de arce agi. Pariter etiam ge. II 172 interpretandum esse censeo: 'avertis Romanis arcibus Indum'. Ego quidem neque Burmanni sententiam, qui 'arces' denotare fines imperii putat, neque Wagneri probo interpretationem, qui profert agi de ipsa Roma, in septem collibus i. e. arcibus sita. Neque magis Kempfio, qui de hoc vocabulo in Thesauro l. l. egit, assentiri possum. Hic vir doctus 'arces' significare oppida imperii Romani putat. Pluralis mihi quidem metri necessitate, cum 'arcibus' –∪∪ formam praebeat percommodam ad V. hexametri pedem explendum, usurpatus videtur esse. Praeterea, cum Wagnero assentiri velis, de urbe agi concedo, sed ita ut arcem urbis caput intellegamus. Ae. III 110 'nondum Ilium et arces Pergameae steterant'. 553 'Caulonisque arces'. IV 260 'Aeneam fundantem arces‿et tecta novantem'. VI 774 'Collatinas‿arces imponent'. VIII 375 'vastabant Pergama . . . casurasque inimicis ignibus arces'. X 12 'Carthago Romanis‿arcibus‿olim Exitium . . immittet'. XI 477 'summasque ad Palladis arces' arces de uno monte, cum de uno tantum templo agatur, intellegendae sunt. XII 698 'summas deserit arces' (ubi etiam de turribus muri cogitari potest). Cul. 30 'urit Erichthonias‿Oriens . . arces', (sc. Athenarum arx). Itemque 336 'Erichthonias prostravit ... arces'. Tibullus in Paneg. ad Mess. v. 64 'Cimmerion etiam obscuras‿accessit ad arces'. Propertius III 1, 25 'equo pulsas‿abiegno . . . arces', de Troiae arce, pl. adiectivi causa ad elisionem evitand. III 9, 39 'Pergama Apollinis arces'. III 11, 25 de Babylonis arce: 'condidit arces', versus sequens a vocali incipit. Ovidius met. II 712 'festas‿in Palladis arces'. V 239 'Acrisioneas Proteus praesederat arces', de Argorum arce. VII 399 'Palladias‿arces'. VIII 548 'Erechtheas Tritonidos ibat ad arces'; XII 588 de Troiae arce: 'iam casuras‿aspicis arces' et XIII 44 'Phrygias‿

1) De usu Vergiliano cfr. Spitta l. c. p. 7/8. Braumueller l. c. p. 11.

unquam venisset ad arces'. 196 'Iliacas‿audax . . . ad arces'. 344 itemque de Troiae arce: 'summas‿arces‿intrare'. XV 866 'Tarpeias Iuppiter arces'. Pont. II 1, 57 'Tarpeias scandere in arces'. IV 9, 29 'Tarpeias‿esse deductus in arces'. Fast. I 79 'Tarpeias‿itur in arces'. VI 45 'Carthaginis arces'. Trist. V 5, 53 'Echionias . . . arces', de Thebarum arce. Met. II 720 'Actaeas‿agilis . . arces', de Athenis. Priap. (ed. Buecheler) 75, 4 'Pallas Cecropias tuetur arces'.

arcus — graec. τόξα. pps iam apud Homerum, exempli causa Il. *Ε* 215. *Λ* 370. *Φ* 504. Od. φ 90. 259. 349. 359. 369. 378, permultis aliis locis. Apud poetas posterioris temporis pluralis praevalet singulari. Videas quaeso Soph. Phil. 924. De Graecorum usu cfr. Witte l. c. p. 31, 52, 54, 56, 57 etc. — Apud Romanos pps primum obviam fit in Propertii lib. III 12, 35 de Ulixis arcu 'veteres arcus' ad elisionem evitandam. IV 6, 55 'pharetrae pondus consumit in arcus' itemque i. v. 56 (generaliter pl. extat III 4, 17 'bracati militis arcus'). Tibullus plurali proprio sensu utitur. Ovidius am. II 7, 27 'per Venerem . . puerique volatilis arcus'; fortasse ad κακοφωνίαν evitand., quia pentameter a littera **m** incipit. III 3, 29 'curvantur Apollinis arcus In nos'; nescio an ad hiatum evitandum. III 9, 8 'fractos‿arcus‿et'; ad elision. evitandas; de Cupidinis arcu; sing. de eodem legis am. II 9, 5. Epist. VIII 83 'Apollinis arcus'. XIX 115 De Dianae arcu: 'feros‿animosae virginis arcus', et ad synaloeph. et vocem dissonam, cum pentameter a **m** littera incipiat, evitandam. Rem. 139 'periere Cupidinis arcus'. 435 de eodem: 'adtrahet . . puer contentos fortius arcus'. Met. II 81 'Haemoniosque arcus' (caeli sidus). 420 'exuit hic . . (sc. Phoebus) pharetram lentosque . . Arcus‿inque . .'; antecedit sing. 'pharetram', plur. ad elision. evitand.; itemque III 166 inter singularia 'iaculum, pharetram' ad Dianae arma denotanda extat 'arcusque retentos', fortasse plur., quia versus sequens a vocali incipit, ad hiatum evitandum. V 63 'quos‿ille tetenderat arcus' (de uno arcu agitur). 620 de Artemidis arcu: 'ferre tuos‿arcus‿inclusaque tela pharetra', ad elisiones evitandas. VIII 30 'imposito calamo patulos sinuaverat arcus'. VIII 114 de Herculis arcu: 'curvos trans ripam miserat arcus' et 118 'missos cum tolleret arcus'. XII 309 'ad Herculeos,‿inquit, servaberis arcus'. 564 'tendit in hanc . . . certos iryntbius arcus‿Atque',

pluralis 'arcus' quia versus sequens, qui cum antecedenti cohaeret, a vocali a incipit. 605 'arcus‿obvertit in illum' (sc. Paris in Achillem), ad synaloeph. evitand. XI 632 de Iridis arcu 'per quos modo venerat arcus'. Fast. II 157 'illa deae (sc. Dianae) tangens arcus „quos tangimus arcus Este meae testes virginitatis" ait'.

atria –⏑⏑ pro 'ātrĭūm'[1]). pps primum in Varr. Men. 38 'atria diviti Crassi', in hexametri fine. Vergilius Ae. I 726 (in Didonis domo) 'vocem per ampla volutant Atria'; adiectum i. V., subst. in I. p. II 483 'apparet domus intus et atria longa patescunt' (de Priami arce), i. V. p. Itemque 528 'vacua atria lustrat' i. V. p. IV 666 'it clamor ad alta Atria' (ante cons.) i. I. p. VII 379 'vacua atria circum' i. V. p. XII 474 'alta atria lustrat hirundo'. Horatius epist. I 5, 31 'atria servantem postico falle clientem'. Ovidius am. I 8, 65 'veteres circum atria cerae', i. V. p. Epist. XV 184 'nec capient Phrygias atria nostra nurus', i. V. p. Met. IV 763 'reseratis aurea valvis Atria tota patent', adiect. i. V., subst. i. I. p. II 114 'patefecit . . . Aurora fores et plena rosarum atria'. V 3 „regalia turba Atria complentur', adiect. i. V., subst. i. I. p. 153 'ululatuque atria complent'; de eodem atrio ac V 3. VIII 562 'levibus atria tophis Structa subit'. X 595 'super atria velum Candida purpureum simulatas inficit umbras'. XII 215 'ignibus atria fumant', i. V. p. XIII 968 'atria Circes', i. V. p. Itemque XIV 9 atria V (Circes) et 260 'atria marmore tecta'.

avenae. Poetae inde a Vergilio plurali saepius utuntur Apud scriptores singularem legimus, Christiani demum pluralem sibi permiserunt. Vergilius ecl. V 37 'infelix lolium et steriles nascuntur avenae'; apparet verbi 'nascuntur' causa pluralem positum esse; nam 'nāscĭtŭr ăvēnāe' versui aptari non potest. Idem de ge. I 154 iudicandum est: 'infelix lolium et steriles dŏmĭnāntŭr ăvēnāe'; 226 plur. ad elisionem evitand. 'exspectata seges vanis‿elusit avenis'. Dirae 15 'effetas, Cereris sulci, condatis avenas' plur. nulla cogente causa. Itemque 19 'desit nostris devotum carmen avenis Hinc'; si tibi non persuades, quia versus sequens a vocabulo 'hinc' incipit, plurali poetam usum esse ad hiatum evitandum. Ovidius met. I 677 'structis cantat avenis', plur. fortasse quia singularis ablativo

1) Cfr. Bednara l. c. p. 541.

posito litterae a cumulatae nos offendissent. Aliter de VIII 192 iudicandum esse mihi videtur 'fistula disparibus paulatium surgit avenis', quo loco avena significat idem atque calamus. Fistula autem e compluribus calamis composita est. Similiter trist. V 10, 25 'sub galea pastor iunctis pice cantat avenis'.

balsama[1]). Plur. in poetarum carminibus inde a Vergilio. Ge. II 119 'balsamaque et bacas', i. I. p. Eleg. i. Maecen. I 134 'palmiferis balsama missa iugis', post pentam. caes. — Plur. apud scriptores, qui Augusti temporibus florebant, non invenitur. Tac. Germ. 45 plur. exhibet: 'tura balsamaque sudantur'.

bella[2]). pps primum apud Vergilium invenitur, qui de bello Troiano dicit Ae. I 48 (verba Iunonis) 'una cum gente tot annos Bella gero'; in oratione soluta singularis suffecisset. Itemque 457 'videt Iliacas .. pugnas Bellaque .. fama ... volgata per orbem', subst. i. I., adiect. i. V. p. 541 'bella cient', i. I. p. II 84 'quia bella vetabat' i. V. p. de bello Troiano. 439 'ingentem pugnam, ceu cetera nusquam Bella forent'. VII 549 'finitimas in bella feram ... urbes'. 616 'Aeneadis indicere bella Latinis', i. V. p. 782 'curruque in bella ruebat' i. V. p., de uno certamine agitur. VIII 675 'Actia bella' itemque de uno proelio 547 'qui sese in bella sequantur', i. V. p. et IX 182 de Niso et Euryalo 'pariterque in bella ruebant'. 279 'seu pacem seu bella geram'. X 66 de bello quod Aeneas cum Latinis gessit 'bella sequi' i. I. p. 87 'quid gravidam bellis‿urbem ... temptas', ad synaloepham evitand. 93 de bello Troiano 'fovive Cupidine bella'. XI 254 'ignota lacessere bella'. XII 33 de bello cum Latinis gesto 'bella' i. I. p. 158 'aut tu bella cie conceptumque excute foedus', itemque de Aeneae Turnique bello 390 'seseque in bella remittant' i. V. p. et 633 'teque haec in bella dedisti' i. V. p. Tibullus I 10, 13 'nunc ad bella trahor' et fortasse 33 'quis furor est atram bellis‿arcessere mortem?'. Propertius II 22, 32 'cum surgeret Hector Bella Mycenaeae non timuere rates?' de proelio quod apud naves factum est. II 12, 16 (Amor) 'assiduus ... meo sanguine bella gerit' i. V. p., singularis suffecisset. Ovidius rem. 160 Venus cuspide laesa 'mandat amatori bella gerenda

1) Neue I 612. 750. 936. Maas 508.
2) Cfr. Bednara Arch. XIV p. 541.

suo', de uno proelio agitur, i. V. p. Epist. I 69 'scirem ubi pugnares, et tantum bella timerem', i. V. p. (Penelope ad Ulixem). Am. III 12, 4 (amatoris verba) 'quosve deos in me bella movere querar', i. V. p. Am. II 18, 12 'resque domi gestas et mea bella cano', i. V. p. 6, 25 'non tu fera bella movebas . . pacis amator eras', i. V. p. Met. VII 212 'vos septentigenis in se fera bella dedistis', i. V. p. IX 42 (Achelous et Hercules) 'rursus . . ad bella coimus', i. V. p., de uno certamine agi elucet e v. 34. Itemque de uno certamine Maenadum Orpheique XI 14 'temeraria crescunt Bella'. i. V. et I. p. XII 418 'Lapitheia tecta Intrarunt pariter, pariter fera bella gerebant'. (sing. 307 de Lapitharum Centaurorumque bello). 621 de contentione inter Aiacem et Ulixem de armis Achillis orta: 'bella movet clipeus deque armis arma feruntur'. 139 'tecum bella geram nec mors mihi finiet iras'. XI 491 'omnique e parte feroces Bella gerunt venti'. XIII 613 'duo diversa populi de parte . . . Bella gerunt'. 662 'miles adest et ni dedantur, bella minatur'. XV 773 (video Aeneam) 'bella . . cum Turno gerere'. i. I. p. — Ars II 404 bella i. I. p. Pont. II 10, 14 'ne careant summa Troica bella manu', i. V. p. Fast. V 701 'bella parant' de uno bello i. I. p.

betae[1]). Aug. doctr. christ. II 24, 37 'beta uno eodem sono apud Graecos litterae, apud Latinos holeris nomen est'. Legitur inde a Plauto qui eodem modo ac Cicero hanc vocem nisi singulariter non exhibet. (Cic. ad fam. VII 26, 2). Itemque Catullus 67, 21. Plur. primum occurrit in Moret. 72 'hic olus, hic late fundendes bracchia betae'. Priap. 51, 15. Plinius et sing. et plur. promiscue adhibet.

busta, ubi de uno tantum tumulo, rogo, sepulchro agitur, pluralis numeri acc. vel nom. metri necessitate imprimis in V. hexam. pede. Poetae Graeci similem usum sibi permittunt, nimirum nominum *ταφαί* et *τάφοι*[2]). pps inde a Propertio persaepe occurrit, qui II 13, 33 in abl. singulari utitur, sed paucis versibus infra (38) metri necessitate coactus pluralem usurpat: 'Phthii busta cruenta viri', itemque III 16,24 'sertisque sepulchrum Ornabit custos ad mea busta sedens', i. V. p.,

1) Neue I 613. Weise l. c. p. 360. 225 A.

2) Cfr. Volp, de usu plur. num. Aeschyleo et Sophocleo p. 57, 58. K. Witte l. c. p. 47. Bednara l. c. p. 542. Norden ad Verg. VI p. 183.

pluralis quamquam sing. sepulchrum antecedit. IV 6, 84 'ire.. ad tua busta licet' sc. Crassi, i. V. p. 7, 34 de Cynthiae sepulchro: 'fracto busta piare cado', post pentametri caesuram. Ovidius am. II 9, 38 'colentem mors.. in cava busta trahet', i. V. p. Ib. 329 'circum busta Thrasylli', i. V. p. Met. IV 88 'conveniant ad busta Nini'; cfr. v. 95 de eodem sepulchro: 'pervenit ad tumulum'. VIII 710 'coniugis.. Busta meae' (de Baucide), i. I. p. XIII 515 de Achillis sepulchro: 'hostilia busta piasti', i. V. p. Trist. III 11, 26 'bustaque nostra petis', i. V. p. Pont. I 2, 152 'busta sui fiant ut propiora viri' (coniunx de poeta). Fast. V 426 ,busta piabat avi', p. pent. caes. Semel 'bustum' met. VI 665, propter attributum 'miserabile', cuius plur. tribrachyn praebuisset.

Capitolia[1]) pro 'Capitolium'. Cuius nominis plurali numero poetae tantum utuntur praetermissis paucis posteriorum temporum scriptoribus; ad talem usum apparet eos non nisi metri necessitate coactos esse. Plur. imprimis in V. p. extat. Norden in commentario Vergiliano p. 324 compluria argumenta profert, quibus iam Ennium huius vocis plur. poeticum sibi permisisse verisimile videtur esse. Prima exempla in Vergilii carminibus inveniuntur. Ae. VI 836 'Capitolia ad alta' i. V. p. et VIII 347 'ad Tarpeiam sedem et Capitolia ducit'. 653 'Capitolia celsa tenebat', i. V. p. Singul. gen. IX 448 ante voc. Propertius IV 4, 27 'Capitolia nubila fumo', i. V. p. Ovidius a. a. III 115 'Capitolia' i. IV. p. Met. I 560 'visent longas Capitolia pompas'. II 538 Capitolia ante cons. i. V. p. et XV 589. 828 'servitura suo Capitolia nostra Canopo', i. IV. p. et 841 'Capitolia nostra forumque'. Fast. I 203 i. V. p. 453 i. IV. p. ante cons. et II 667. VI 73 'aurea possedit .. Capitolia templo', i. I. p. attrib. et subst. i. V. p. Idem 351 'cincta .. Capitolia Gallis'. Tr. I 3, 29 'Capitolia cernens', i. V. p. et Pont. IV 9, 5. Gen. sing. Pont. III 1, 135 'Capitoli more colenda'.

carmina[2]). Cuius vocis plur. poeticus difficillime est diiudicandus, quia carminis partes velut liber, stropha, versus denique ipsi nonnumquam recte 'carmina' dicuntur. — pps primum apud Lucretium obviam fit I 934 'obscura de re tam

---

1) Bednara 542. Braumueller 11.
2) Bednara l. c. p. 555.

lucida pango Carmina', attrib. i. V. subst. i. I. p. III 420 'digna tua pergam disponere carmina cura', i. I. et V. p. Quibus in exemplis de Lucretii carmine epico agitur. Quo in usu sequitur Catullus 64, 383 'carmina divino cecinerunt pectore Parcae', de eadem re sing. abl. 321. 65, 16 de 'Coma Berenices' plur. i. V. p. 'mitto Haec expressa tibi carmina Battiadae', itemque 116, 2 'carmina . . . Battiadae'. Vergilius ecl. V 14 'haec . . . quae cortice fagi Carmina descripsi'. De uno carmine, itemque 55 'Simichon laudavit . . carmina nobis', de quo legis sing. 45 et 81 (abl. i. V. p.); etiam pps 63 i. V. p. VIII 12 'accipe iussis Carmina coepta tuis', 68 'ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim'. IX 21 'vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper'. Cul. 3 'haec pariter culicis sint carmina docta', et 10 'digna tuo poliantur carmina sensu', de eodem carmine singularis 12 'Phoebus nostri . . carminis auctor'. Dirae 25 'nostris superent haec carmina votis'. Vergilius de Aeneide VII 733 'nec tu carminibus nostris indictus abibis, Oebale'. IX 444 'si quid mea carmina possunt'. Cinna frg. 11 haec tibi Arateis multum vigilata lucernis, carmina'. Tibullus (Lydam.) III 2, 28 'in celebri carmina fronte (sepulchri) notet'. Paneg. 3 de panegyrico 'carmina' i. V. p. Propertius I 7, 4 'sint modo fata tuis mollia carminibus', de Pontici carmine epico, quod de bello Thebaico agit. Ovidius met. VII 759 'carmina Laiades non intellecta priorum Solvit', de aenigmate quod Oedipus solvit. Met. XIV 357 'si non evanuit annis Herbarum virtus, si non mea carmina fallunt'; ad huius pluralis naturam recte intellegendam cfr. XV 326. 430 'carmina iam moriens canit exequialia cygnus'. Fast. I 474 'ore dabat pleno carmina vera dei'. Epist. Sapph. 14 'vacuae carmina mentis opus'. Pont. I 943 'carmina iure damus raros testantia mores', de una epistula agitur, qua Celsi nomen poeta servare vult. VI 66 de epistula Nasonis ad amicum quendam missa 'cur . . . appellant ne te mea carmina rogas?', de eadem epistula antecedit i. II. v. singularis 'carmen' i. V. p. ante voc. Similiter IV 8, 45 'carmina vestrarum pergant praeconia laudum', et 47 'carmine'. Trist. I 1, 63 'clam tamen intrato, ne te mea carmina laedant', de una epistula, item II 79.

casiae[1]). Legitur inde a Plauto (Curc. 103). Pluralem

1) Serv. ad Verg ecl. II 49.

Vergilius primum usurpavit: ge. II 213 'humilis‿apibus casias roremque ministrat', attributi causa pluralis exstare videtur, singularis enim ante vocal. synaloepham effecisset. IV 30 'haec circum căsĭāē virides et'. Singul. căsĭă [1]), quia tribrachyn praebet, versui non nisi a consonantibus geminatis vocabulum sequens incipit aptari potest. IV 304 'thymum casiasque recentis', pluralis, quamquam nulla causa metrica cogente adhibetur, tamen poeta fortasse causa euphonica ad usum pluratívum impulsus est. Nam 'thymum casiamque recentem' nescio an in offensionem nostram cadat. Eleg. in Maecen. 1, 133 'hic tibi Corycium, casias‿hic donat olentis‿Hic . . balsama'. Ad elisiones hiatusque evitand. Ovidius plur. met. XV 398 'quo simul ac casias‿et nardi lenis aristas', ad elisionem evitandam. Acc. sing. saepius velut Verg. ge. IV. 182. Tib. I 3, 61. Ciris 370. Abl. sing. Verg. ge. II 466.

centaurea [2]). Plur. Lucretius IV 125 inter compluria pluralia: 'panaces, apsinthia . . habrotoni . . . tristia centaurēă', attribut. i. V. p. Vergilius ge. IV 270 'Cecropiumque thymum et grave olentia centaurēă', attributi causa plur. extat quia hic 'trīstĕ', illic 'olens' dactylum non explet. Sing. gen. 'centauri' legis Lucr. II 401 'apsinthi natura ferique Centauri'.

cerae [3]). Apparet hic omnia silentio transmittenda esse exempla, ubi haec vox sensu translato pro re cerata posita est. Iam Plautus hoc vocabulum, ubi de compluribus tabellis cera oblitis agitur, metonymice pro tabellis pluraliter in usum vocat; sic Curc. 410 'explevi totas ceras quattuor'. Si in hoc vocabulo haec vis inest, pluralis etiam in oratione soluta obviam fit: Varro r. r. III 17, 4 'Pausias et ceteri pictores . . loculatas magnas habent arculas, ubi discolores sint cerae'. Similiter Ovidius de tabulis ceratis singularem et pluralem promiscue, prout versus condicione postulatur, exhibet; exempli causa am. I 11, 14 post pentam. caesuram 'cēră nŏtātă manū' plur. 'cērāē nŏtātāē' hoc loco versui immitti non poterat; itemque i. v. 20. Sed de eadem re — agitur enim de tabulis — legis pluralem in arte III 495. Eodem modo iudi-

1) Cfr. Lindsay, Die lateinische Sprache, 1907 Leipzig, p. 425 sqq.
2) Weise l. c. p. 374. κενταύρειον, Tausendgüldenkraut.
3) Maas p. 484. 504. 506. Bednara p. 586. Neue I 620/1.

candum est de met. IX 529 'verbaque correctis incidere talia ceris', cfr. 565 de eadem epistula 'plēnă rĕlīquīt Cērā mănum'. IX 922 'dextra tenet ferrum, vacuam tenet altera ceram'. Contra eodem sensu 929 'verbaque concretis‿incidere .. ceris', ubi singularis dativus synaloepham effecisset. Eadem ratio inest his locis Ovidianis: plur. ad elisionem evitand. Pont. IV 1, 12; contra sing. nom. post pentam. caesur. IV 9, 102. Idem de aliis locis dicendum est. Praeterea in quaestione nostra omittenda sunt ea exempla, in quibus 'cerae' idem significant atque imagines cereae, germanice „Wachsbilder". Nam nulla eget explicatione poetas hisce locis summo iure plurali numero uti, praesertim cum hoc sensu etiam scriptores vel optimi pluralem adhibeant. Videas quaeso Cic. de nat. deor. I 26, 71 'hoc intellegerem quale esset, si in ceris fingeretur aut fictilibus figuris'. — Nunc iam ad ea exempla perlustranda transeamus, in quibus scriptores singularem posituros fuisse constat. De materia agitur: Vergilius ge. IV 57 'hinc arte recentes Excudunt ceras‿et mella'; de eadem re antecedit abl. sing. in versus fine 38 'tenuia cera Spiramenta linunt'; sequitur plur. 162 'tenacis Suspendunt ceras;‿aliae' ad elisionem evitandam; itemque 241 'cerasque recidere inanis'. Saepius ubi singularis — imprimis nominativus ut ecl. 8, 80 — facilius versui immitti potest, hoc numero utitur poeta. Eandem rationem sequitur Ovidius art. II 85 'cērā dĕō (i. caelò) prŏpĭōrĕ lĭquēscĭt'; contra eodem sensu 89 'tabuerant cerae' (in arsi). Pariter met. III 488 'intabescere flavae igne levi cerae .. solent'; contra X 285 'cērā rĕmollescit'. Fast. III 748 'aspicit et ceras (sc. apium) dissimulat'. IV 546 'in ceris‿aurea mella suis', sing. elisionem effecit. Trist. V 4, 30 (mel) 'quod in ceris‿Attica ponit apis'. Itemque poetae promiscue singularem et pluralem usurpant, ubi de instrumentis iungendis quaestio est, plerumque metri necessitate ducuntur. Abl. sing. Verg. ecl. II 32. III 25. Tib. II 5, 32. Nom. sing. Prop. III 23, 81. Ovidius art. II 47 'imaque pars (sc. pinnarum Icari) ceris‿adstringitur igne solutis'; de eadem re 49 'tractabat ceramque puer'. Idem met. VIII 198[1]). Met. VIII 193 'lino medias et ceris‿alligat imas' sc. pinnas Daedalus. VIII 226

1) Acc. sing. praeter hunc locum et met. IX 522, ubi de imaginibus concipitur, tantum in am. II 15, 16 extat.

'mollit odoratas, pennarum vincula, ceras'; 227 'tabuerant cerae'. 670 'pocula . . . flaventibus illita ceris'. XIII 818 'novasque imitantia ceras'. XIV 532 'picem et ceras‿alimentaque cetera flamma'. Vergilius III 415 'miscent . . Idaeasque pices et pingues unguine ceras'. Plur. genet. nusquam legitur.

certamina[1]). pps inde a Vergilio Ae. V 66 'prima citae Teucris ponam certamina classis', i. V. p. De eodem certamine sing. 286 'hoc . . misso certamine' (V). VI 172 (Misenus) 'cantu vocat in certamina divos'. IX 662 'ipsi in certamina rursus Succedunt', i. V. p. XI 221 'solum posci in certamina Turnum' i. V. p. 434 'me solum Turni in certamina poscunt' i. V. p. XII 467 'Turnum . . solum in certamina poscit', sc. Aeneas, i. V. p. 73 'duri certamina Martis'; similiter 32 (cur non incolumi Turno) 'potius certamina tollo?', i. V. p. Idem ac 73 'adsistunt contra certamina Martis anheli', i. V. p. Cul. 316 'obiectoque dabat clipeo certamina', i. V. p. Tibullus pps P 98 'venient certamina Martis' i. V. p.; antecedit 88 'vigeat certamine miles'. Ovidius saepe singul. ante voc. Epist. XIX 165 'dissimili certamina mente subimus'. Am. II 10, 29 'quem Veneris certamina mutua perdunt'. Sed Pont. II 2, 87 'certamen amoris'. Met. V 314 'dirimant certamina nymphae', de musarum et Pici filiarum certamine agitur. De eodem legis 337 'summam certaminis'; i. V. p. ante voc. Met. X. 177 'ineunt certamina disci'. Art. I 629 'rapidi certamina currus' i. V. p.

cineres[2]) — *κονίαι, ψάμαθοι.* pps primum apud Vergilium occurrit ecl. VIII 108 ante voc. ad elisionem evitand.: 'fer cineres‿Amarylli foras'. Ae. II 431 'Iliaci cineres'. 587 'cineres satiasse meorum'. V 55 'ad cineres‿ipsius et ossa parentis'. 81 salvete recepti . . 'Nequiquam cineres‿animaeque . . paternae'. 787 'Troiae cineres‿atque ossa peremptae'. IV 427 'Anchisae cineres manesve'. VI 226 'collapsi cineres et flamma'. X 59 'cineres patriae (sc. Troiae) . . supremos‿Atque solum'. Cul. 313 'cineres Rhoetei litoris'. Aetna 78 'inter cineres Ditis'. 590 'miramur Troiae cineres'. Tibullus nisi singulari non utitur. Propertius III 1, 36 poeta de gloria, quam mortuus asse-

1) Bednara 555.

2) Witte l. c. p. 11. Maas l. c. 518. Bednara p. 552. Norden ad Verg. p. 192. Neue I 618.

cuturus est 'illum post cineres auguror ipse diem'. III 9, 37 'in cineres‿arcem sedisse paternos'. IV 11, 37 'maiorum cineres tibi Roma colendos'. 92 'tanti cineres duxerit esse meos'. Eleg. in Maec. II 21 'ipse ego, quidquid ero, cineres‿interque favillas'. Ovidius am. III 9, 50 'in cineres‿ultima dona tulit' de Tibullo mortuo intellegendus est pluralis, item ac sing. 68 'sit humus cineri non onerosa tuo'. Epist. I 24 'versast in cineres sospite Troia viro'. VII 115 'cineresque viri'. 192 Dido de se ipsa: 'dabis in cineres‿ultima dona meos'. Art. II 26 'accipiat cineres terra paterna meos'. III 21 'cineresque miscebimur'. Met. II 216 'cineres‿eiectatamque favillam'. 628 'in cineres labi'. VIII 539 'post cinerem cineres haustos ad pectora pressant', apparet pluralem perspicuitatis causa positumesse. XIII 426 'cineres .. Hectoris haustos'. XIV 577 'cineres' acc. ante cons. Trist. III 3, 83 'quamvis in cineres corpus mutaverit ignis'. Pont. I 1, 112 'Bistonii cineres‿ungula pulset equi'. II 2, 62 'posse velim cineres‿obruere ipse meos'. IV 16,3 'famaque post cineres maior venit'. Singularis 'cinerem' ante **m** cons. nos offendit, quia aspere consonantes illae concurrunt. 18 'neu cineres sparge, cruente, meos'. Fast. III 48 'subiit cineres (sc. Silviae) territa flamma suos', de eadem re sequitur 547 'compositusque cinis' (ante cons.). 563 'cineres te ad ora relatos Pressit'. VI 631 'hic inter cineres‿obsceni'. In reliquis casibus ubi poetae e plurali nihil lucrantur, ponitur singularis; sic saepius in versus fine 'cinis' (epist. 18, 94 rem. 244) am. II 6, 42 'cinis' ante voc. in arsi; cfr. contra met. XIII 426. XIII 502 'cĭnĭs īpsĕ'. Acc. sing. ante **s** trist III 11, 26, fast. IV 725. Cum saepius acc. sing. ante **s** legatur, facio cum Maasio, qui in Ovid. epist. I 24 pro 'cineres' lectionem Etoniani 'cinerem' praefert; quare legendum esse censeo 'versa est in cinerem sospite Troia viro'.

vocis 'clipeus' pluralis pro singul. semel apud Ovidium epist. III 119 occurrit, plur. metri necessitate positum esse elucet: 'quam manibus clipeos‿et'. Plur. inter complures singulares extat: puellam, .. lyram .. hastam.

cognomina pro singul. Ovidius semel in fast. V 579 'nec satis est meruisse semel cognomina Marti', de cognomine Ultoris (577) agitur. In reliquis casibus singularis obviam fit.

colocasium — κολοκασία et κολοκάσιον [1]). Plur. profert Vergilius ecl. IV 20 'mixtaque ridenti colocasia fundet acantho'.

concubitus. pps inde a Vergilio ecl. VI 50 'at non tam turpis pecudum tamen ulla secuta est Concubitus, quamvis', de Proeti filiabus. Propertius IV 8, 36 'quaeris concubitus‿ inter utramque fui', de convivio agitur, in quo poeta inter duas puellas sedem habebat. Tibullus II 5, 53 'concubitusque tuos' (Ilia video), de Iliae et Martis concubitu coniugali. Ovidius am. II 8, 22 'pretium mihi dulce repende Concubitus hodie .. tuos', i. v. 6 antecedit plur. proprio sensu (cfr. etiam 25). Art. II 307 'ipsos concubitus‿ipsum'. Met. IV 207 'tuos (sc. Solis) petebat Concubitus' ante voc. VI 541 'nefandos Concubitus', de Philomela quae a Tereo corrupta erat. IX 124 de Nesso qui Deianiram petebat: 'si te nulla mei reverentia movit, at orbes Concubitus vetitos poterant inhibere paterni'. XIV 668 'concubitusque fugis nec te coniungere curas'. Rem. 726 'loca conscia vestri Concubitus', gen. sing. pro plurali, qui commode versui immitti non potest. Plautus utitur sing. Amph. 1136.

congressus — συμβολή, ἀπάντησις. Lucretius II 1065 'esse alios alibi congressus materiai'; cfr. V 67 'quibus ille modis congressus materiai Fundarit terram'. pps Vergilius Ae. V 733 'congressus pete nate meos' (ante cons.). Ovidius met. VII 501 'postquam congressus primi sua verba tulerunt'.

coniugia. Plur. rare pro sing. occurrit, primus Vergilius hac licentia utitur. Ge. II 275 'saepe sine ullis Coniugiis gravidae vento'. Si poeta singularem exhibuisset, o littera ter repetita aures offenderet. Ae. VII 555 'talia coniugia et talis celebrent hymenaeos', sc. Aeneas et Latinus, plur. attributi 'talia' causa, quia 'tale' ad dactylum explendum non sufficit. In carminibus dactylicis poetarum usque ad Ovidium praeter locos illos pluralem poeticum non inveni; apud Val. Max. 7, 2 demum et Senec. (Med. 144. Tro. 59) et Val. Flacc. 8, 392 pps obviam fit.

conubia — γάμοι [2]) pro conubium — ad similitudinem vocis nuptiae — saepius occurrit, postquam Catullus huiusmodi

1) Weise l. c. p. 388. 146. Neue I 613.

2) Witte 59.

usum incohavit; Lucretius enim pluralem sibi permisit non nisi proprio sensu —. Catullus pps 64, 141. 158. Quo in usu Catullum sequitur Vergilius. Ae. III 319 'Pyrrhin conubia servas?' sc. Andromache, i. V. p. IV 213 'conubia nostra Reppulit', i. V. p. i. e. Dido reppulit Iarbam, Gaetulorum regem. 316 Dido ad Aeneam 'per conubia nostra, per inceptos hymenaeos'. 535 'Nomadumque petam conubia supplex' i. V. p., Didonis verba, quae ab Aenea relinquitur. VII 96 'ne pete conubis natam sociare Latinis', quibus verbis oraculum Latino regi suadet ne Laviniam Turno Rutulorum principi in matrimonium det. 333 'conubis ambire Latinum', de Lavinia quam Aeneas uxorem ducturus est. IX 600 'qui nostra sibi bello conubia poscunt', metonymice de Lavinia sponsa. XII Latini verba: 'prodiderim natam et conubia nostra petentem', 'con. nost.' i. e. matrimonium filiae meae. 821 'iam conubis pacem felicibus, esto', itemque de Aeneae Laviniaeque coniugio. Cul. 247. 299. Ovidius am. II 7, 21 'quis Veneris famulae conubia liber inire'. Epist. II 81 'mea despecti fugiunt conubia Thraces', sc. Phyllidis. XI 99 'his mea . . conubia donas' (sc. Canacae). Met. I 480 'quid Hymen, quid Amor, quid sint conubia, curat'. 490 'Phoebus . . cupit conubia Daphnes'. X 518 'conubia nostra', i. e. Atlantis cuius coniugium (cfr. 613) ab Hippomene petitur. XI 226 'Iuppiter . . Thetidis conubia fugit'. XII 194 'contingant illi conubia matris'. XIV 69 (Glaucus) 'fugit conubia Circes' [1]).

convivia, quam vocem poetae inde a Plauto saepissime in usum vocant; dactylici non nisi forma 'convivia' utuntur. pps primum apud Vergilium occurrit. I 638 'mediisque parant convivia tectis', i. V. p., sc. Didonis servi, postquam Aeneas advenit. IV 77 Dido 'labente die convivia quaerit' i. V. p. Tibullus pps III 6, 59 'fugit nostrae convivia mensae', i. V. p. Propertius IV 6, 71 'candida nunc molli subeant convivia luco', i. V. p. III 10, 25 de convivio quod Cynthiae die natali celebratur 'dulciaque ingratos adimant convivia somnos', i. V. p. Ovidius met. IV 763 'Cepheum proceres ineunt convivia regis', i. V. p. XII 222 'eversae turbant convivia mensae', i. V. p.; de convivio, quod nuptiis Pirithoi et Hippodamiae institutum est. XIII 675 'talibus postquam convivia dictis Implerunt'. Ib.

1) Bednara 542.

429 'foeda Lycaoniae repetes convivia mensae', i. V. p. Fast. VI 675 'quid cessas convivia solvere, dixit', de uno convivio.

coriandrum — *κορίανδρον* et *κοριάννον* [1]). Legitur inde a Plauto. Pseud. 814 (coci) 'indunt coriandrum, feniculum, alium, atrum holus'. Itemque in oratione soluta haec vox singulariter exhibetur; primum a Catone agr. 119; deinde saepe a Plinio. Uno tantum loco pluralis invenitur Moret. 91 'vellit et exiguo coriandra trementia filo'. Posteriore aetate apud Columellam X 244.

crepuscula [2]) pro 'crepusculum'. Plaut. Cas. 40 sing., plur. inde ab Ovidio. Am. I 5, 5 'qualia sublucent fugiente crepuscula Phoebo', i. I. et V. p. Met. I 219 'traherent .. sacra crepuscula noctem', i. V. p. XI 596 'Phoebus adire potest ... exhalantur dubiaeque crepuscula lucis' i. V. p. XIV 122 (Aeneas) 'iter ... per opaca crepuscula carpit', i. V. p. XV 651 'seram pepulere crepuscula lucem', i. V. p. Fast. IV 735 'pastor, oves ... ad prima crepuscula lustra', i. V. p. V 163 'inducent obscura crepuscula noctem', i. V. p. 455 'domum redeunt sub prima crepuscula maesti', i. V. p. Epist. XIV 21 'modo facta crepuscula terris'.

crimina, quae vox legitur inde a Plauto. pps primum apud Propertium II 32, 2 'facti crimina lumen habet', post. pent. caes. 28, 5 'non .. ardoris culpa est neque crimina caeli'. Ovidius am. III 10, 24 'fassuram Cererem crimina nota puto', i. V. p. Epist. VIII 55 'Aeaeides laudemque in crimina vertit', i. V. p. XI 49 'tua crimina prodis', de Canaca gravida. XIX 7 'coniugium pactamque fidem, non crimina posco', i. V. p. Met. XIII 67 'non haec mihi crimina fingi Scit Tydides', i. V. p.; de uno tantum crimine quaestio est: Ulixes Nestorem non adiuverat, qui equo vulnerato, cum Graeci a Iove terrerentur, fugere non poterat. XIV 401 'criminibusque premunt veris regemque reposcunt', Pici comites regem mutasse Circae crimini dant. Pont. III 126 'femina ... in qua fortuna videre se probat et caecae crimina falsa tulit'. Fast. II 807 'nil agis! eripiam .. per crimina vitam', i. V. p., verba puellae quae se manus sibi ipsi illaturam esse minatur. Metonymice: Epist. XI 66 de Canaca

1) Weise l. c. 140. 390. Neue I 612. 795.

2) Bednara 543.

gravida 'crimina sunt oculis subripienda patris', de eadem re antecedit 64 'positum est uteri crimen onusque mei'. XV 294 in epistula, quam Paris ad Helenam misit, scribit de se ipso 'et tua sim ... crimina solus ego', attrib. i. I., subst. i. V. p. Met. III 268 'manifestaque crimina pleno Fert utero', sc. Semela. IX 566 'signat sua crimina gemma', Byblis signat epistulam, in qua fratri amorem incestum — 'crimina' — fessa est. X 197 Apollinis verba, cuius culpa Hyacinthus vitam amiserat: 'videoque tuum, mea crimina, vulnus Tu dolor es facinusque meum'. De eadem re i. V. p. 'crimina', sed in versu sequenti 'făcĭnus', quia 'făcĭnŏră' versui adaptari nequit. 470 'semina fert utero conceptaque crimina portat', i. V. p., sc. Myrrha.

currus[1]) i. incert. Fab. 196 'rapiúnt per undas cúrrus suspensós equi'. Quem versum commemorat Cicero in Tus. disp. II 27, 67. Ribbeck in scaenic. Rom. poes. frg. eum captum esse ex Attii Oenomao suspicatur. Si recta haec sententia esset, pluralis poeticus intellegi posset. Sed certis argumentis haec opinio non firmatur. Quo dubio exemplo omisso pps primum a Vergilio usurpatum esse constat. Ae. I 486 'ut spolia ut currus‿utque ipsum corpus amici .. conspexit'. VI 485 'Idaeumque etiam currus,‿etiam arma tenentem'. X 574 'effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus‿Interea'. 592 'nulla tuos currus fuga'. XII 350 (Dolon) 'ausus Pelidae pretium sibi poscere currus' versus sequens a vocali incipit. 485 'aversos totiens currus‿Iuturna retorsit'. 918 'nec currus‿usquam videt', sc. Turnus sororis currum. Tibullus I 4, 68 'Idaeae currus‿ille sequatur Opis'. Abl. sing. saepius. Ovidius am. I 7, 37 'quaeque tuos currus comitatus turba sequetur', i. e. currus eius, qui triumphum agit. Epist. IV 45 'saepe iuvat versare leves‿in pulvere currus'. A. am. III 158 Bacchus 'sustulit in currus, Gnosi relicta, suos'. Met. II 47 'currus rogat (sc. Phaeton) .. paternos', de Solis curru. Item 62 'non agat hos currus‿et'; idem 74 'finge datos currus', ante cons.; sed 104 de eodem extat gen. sing. 'flagratque cupidine currus'. Praeterea sing. 150, 166, 205. Abl. plur. de Solis curru 146 'consiliis, non curribus utere nostris', Solis verba. De eadem re 230 'currusque suos candescere sentit', et 305 'qui dederat currus' ante cons., et 388 'portantes lumina currus'. IV 630 de Solis curru

1) Bednara 562.

'evocet .. currus‿Aurora diurnos'. V 402 'raptor agit currus‿et', de Plutonis curru, in quo Proserpinam abduxit; itemque 424 'pronos currus medio cratere recepit'. 511 'curribus oras Exit in aetherias' de Cerere. 642 'geminos dea .. angues Curribus admovit'. De uno curru agi elucet e v. 645 'levem currum Tritonida misit in urbem'. VIII 794 'accipe currus‿Accipe' de eodem legis 796 abl. sing. in versus fine. XV 790 'sparsi lunares sanguine currus'.

cursus[1]). pps Vergilius ge. III 119 magistri 'exquirunt calidumque animis et cursibus‿acrem', sc. equum. Abl. sing. cursu synaloepham effecissit. Similiter de equo 193 'tum cursibus auras ... vocet ac per aperta volans'. Ae. III 146 Anchises oraculum requirit 'quam .. finem rebus ferat, unde .. temptare auxilium iubeat, quo vertere cursus'. 430 'longos‿et circumflectere cursus'. 460 'cursusque dabit venerata secundos'. 686 inter Scyllam et Charybdin 'ni teneant cursus', ante cons. 717 Aeneas 'fata renarrabat divom cursusque docebat'. IV 196 'protinus ad regem cursus detorquet Iarban'. V 131 'Aeneas .. constituit signum longos‿ubi circumflectere cursus'. 738 'torquet medios Nox unida cursus‿Et'. VI 350 'cursusque regebam'. V 667 'cursus‿ut laetus equestres ducebat' (sc. Ascanius). VII 8 'adspirant aurae in noctem nec candida cursus Luna negat'. X 249 'inde alia (sc. naves) celerant cursus', ante cons. XII 84 equi 'qui candore nives anteirent, cursibus auras'. 909 'nequiquam avidos‿extendere cursus' (*δρόμον ὠκὺν ἐκτανύων*). Tibull. Paneg. 55 'nec valuit lotos coeptos‿avertere cursus'. Ovidius epist. II 14 'nec tenuit cursus forsitan ille tuos', de Demophontis reditu agitur. XVI 203 'cursibus in mediis novitatis plena relinquis Gaudia' (Helena ad Paridem). A. a. II 74 'Daedalus .. cursus sustinet usque suos'. 274 'nec cursus‿anteat ille tuos'. Met. II 721 'Cyllenius inclinat cursus‿et'. III 636 'Naxon, ait Liber, cursus‿advertite vestros'. V 610 'tolerare diu cursus‿ego .. non poteram', de Arethusae fuga agitur. VI 226 'flectit in orbem Quadrupedis cursus'. VII 792 'invictos‿ambo (canem et volpem) certamine cursus‿Esse'; de eadem re antecedit i. v. 780 singularis: 'novi spectacula cursus'. X 667 'declinat cursus‿aurum', sc. Atalanta quae ubi in certamine malum aureum Nep-

1) Cfr. Wagner quaest. Verg. p. 916. Spitta l. c. p. 33. Braumueller l. c. p. 15.

tuni exspectavit, cursum ad id corripiendum vertit. Pro certo dicere non possum, utrum X 638 'iam solitos poscunt cursus populusque paterque' (sc. Atalantae) poetica cum licentia pluralis extet an proprio sensu capiendus sit. Pont. II 7, 17 'iam mihi fata liquet coeptos servantia cursus Per sibi consuetas semper itura vias', litterae sibilantes cumulatae sunt. Trist. I 10, 17 'fleximus in laevum cursus‿et'.

daps — dapes[1]). Quod nomen quamquam in optimorum scriptorum operibus obviam non fit itaque poetarum usus orationi solutae comparari non potest, tamen ex inquisitione aliquid, quod nos in poetarum ratione dicendi intellegenda adiuvet, inveniri potest. Legitur inde a Livio Andronico et Catone. Videamus, quomodo singuli et singularis et pluralis casus in usum vocentur: nom. sing. apud poetas non invenitur nisi in Liv. Andr. frg. extat apud Catonem agr. 50, 2. 132, 2. Gen. sing.: Horatius eum saepius adhibet. Ovidius in Ib. 425 'nec dapis humanae tibi sint fastidia', pluralis ante 'h' hiatum effecit. Dat. sing. tantum apud Cat. 132, 1. Acc. et abl. multo usitatius. Acc. sing. Catull. 64, 79 'Cecropiam solitam‿esse dapem dare Minotauro'; plurali, quem exspectamus, poeta usus non est, quia 'solitas esse' ad hexametrum non quadrat, 'solitam‿esse' autem commode elisione versui immitti potest. Tibullus I 5, 28 'pro segete spicas, pro grege ferre dapem'. Hic poeta etiam pluralem usurpare poterat. Cfr. I 10, 8 itemque in versus fine, sed acc. plur. Abl. sing. antecedente syllaba longa aptissimus est ad dactylum explendum. Catullus eum exhibet 64, 304, i. V. p. Ovidius epist. IX 68 post pentam. caes. 'efferus humana, Quī dăpĕ'; eodem versus loco XV 206 'lumina qui trepidos Ā dăpĕ vertat equos'. Fast. V 521 i. I. p. 'nūnc dăpĕ nunc'. Gen. plur. deest praeter frg. Bob. gramm. V 562, 10 'ab hac dape harum dapum'. Dat. plur. raro. Verg. Ae. I 210. Maxime in usu est nom. et acc. plur., imprimis ad elisiones evitandas. pps Vergilius ecl. V 79 'quas‿illi Philomela dapes .. paravit?' Ae. III 234 'polluit ore dapes' ante cons., sc. Harpyiae. VII 109 Aeneas et duces 'instituunt dapes‿et'. Tibullus I 5, 49 'sanguineas‿edat illa dapes‿atque ore cruento'; i. v. 28 extat

1) Cfr. Char. gramm. I 33, 9 'feminina semper pluralia ... dapes et haec daps dixerunt'. Prisc. gramm. II 321, 6 'haec daps huius dapis, sed nominativus in usu frequenti non est'.

de eadem re 'dapem'. Sed hic singularem duas effecisse synaloephas constat. Propertius III 22, 30 'nec tremis Ansonias, Phoebe fugate, dapes', de Thyestis cena. Ovidius Met. VI 664 de Terei epulis 'reserato pectore diras Egerere inde dapes‿immersaque viscera gestit'. XI 123 (Midas) 'dapes‿avido convellere dente parabat Lammina fulva dapes‿admoto dente premebat'. XIV 212 de Cyclopo, qui Ulixis socios devoraverat 'eiectantemque cruentas‿Ore dapes‿et'. Dubitari potest de art. am. III 757. Met. VIII 824. XV 105. — De sacralibus epulis et cibo: Verg. Ae. III 301 'sollemnes cum forte dapes‿et tristia dona ... libasset Andromache'. V 92 ante cons. et VI 225. VIII 175 'dapes‿iubet et'. 186 'has ex more dapes‿hanc .. aram'. IX 738 'exspectate dapes‿et plenae pocula mensae'. Tibullus II 5, 99 'at sibi quisque dapes‿et festas exstruet ... mensas'. Ovidius met. V 113 ante cons. et fast. II 362. 675. IV 354. Ad elision. evitand. extat plur. IV 424 'venerat ad sacras‿et dea flava dapes'; abl. plur. Ae. I 210 pps Ae. I 706 'quī dăpĭbūs mensas onerent et pocula ponant'. III 224 'exstruimusque toros dapibusque epulamur opimis', cfr. Liv. XXXIX 43. 618 'domus sanie dapibusque cruentis', sc. Cyclopis, proprio sensu. Contra pps: 630 Polyphemus 'expletus dapibus vinoque sepultus'. VII 125 'accisis coget dapibus consumere mensas', cfr. supra ad Verg. VII 109. Ovidius Met. VIII 572 'instruxere epulis mensas dapibusque remotis In gemma posuere merum'. VIII 683 Philemon et Baucis 'veniam dapibus (i. e. tenui cena) nullisque paratibus orant'. VIII 824 'petit ille dapes sub imagine somni'. XI 120 Midae 'mensas ministri posuere Exstructas dapibus'. XV 75 et 87 prop. sens. et Ib. 382. Fast. II 725. 791. Tibullus II 1, 81 'sancte, veni dapibus festis'. Quare hunc casum poetae tantopere frequentent, facile est cognitu, si tecum reputaveris hoc casu et antecedente syllaba longa expleri dactylum et, si verbum sequens a consonanti incipit, huic pedi arsim praeberi. Omnibus exemplis perlustratis nom. acc. abl. plur. et acc. abl. sing. praecipue in usum vocari vidisti. In tali usu poetas imprimis causis mere formalibus i. metricis ductos esse nunciam explicatione eget nulla; nam sine notionis differentia et sing. et plur. usurpatur.

d e f r u t a. Plaut. Pseud. 741 sing. exhibet; Vergilius ge. IV 269 plur., attrib. i. V., subst. i. I. p.

delubra de uno templo. Vergilius ge. III 23 'ducere pompas Ad delubra iuvat'; cfr. v. 13 ubi de eodem sacro extat 'in campo templum de marmore ponam' (sc. Musis). Ge. IV 541, 549 pro certo dicere non possum utrum pluralis proprio sensu an pro singulari positus sit. Ae. II 225 'gemini lapsu delubra ad summa dracones Diffugiunt'. Ovidius epist. XII 69 'delubra Dianae', de uno tantum templo agi potest; cfr. v. 88 'cuius (deae) in aede sumus'. Met. I 373 'ad delubra deae'; cfr. 375 'ut templi tetigere gradus', de templo Themidis. VIII 707 de Philemonis Baucidisque domo in templum mutata 'delubraque vestra tueri'. Fast. V 555 'digna Giganteis haec sunt delubra tropaeis', de Martis templo, quod Augustus in foro Augusti aedificavit; de eodem legis sing. 567 'templum' et trist. II 295 'venerit in magni templum, tua munera, Martis' [1]). III 837 'parva licet videas Captae delubra Minervae', de eodem templo 809 'sacra Minervae'; iam secundo bello Punico aedificatum est [2]). IV 351 'contulit aes populus, de quo delubra Metellus Fecit'; antecedit 347 'templi .. auctor Augustus nunc est ante Metellus erat'; de templo Magnae Matris agitur, quod a. 191 a. Chr. perfectum et a M. Iunio Bruto dedicatum est. Bis deflagratum, anno 111 a Chr., a Metello quodam et anno I p Chr. ab Augusto restitutum est [3]). VI 193 'te quoque, Tempestas, meritam delubra fatemur'; templum Tempestatum a L. Cornelio Scipione (cons. 259) Corsis victis conditum esse videtur [4]). VI 241 'mens quoque numen habet. Mentis delubra videmus'; mentis sacellum et in propinquo templum Veneris Erycinae in Capitolio situm erat [5]). VI 791 'Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt'; cf. Tac. ann. XII 24 'sacellum Larum'; prope Titi arcum situm. CIL VI 456 'Laribus publicis sacrum'. Mon. Ancy. IV 7 'aedem Larum in summa sacra via [feci]' [6]). II 56 'Principio mensis Phrygiae contermina matri Sospita delubris dicitur aucta novis'; templum Iunonis Sospitae in propinquo Magnae Matris aedis Ovidii temporibus non iam extitit, quod e v. 58 elucet 'nunc ubi sunt .. templa deae? longa procubuere

1) Cfr. O. Richter, Topographie der Stadt Rom, 1901, p. 110.
2) Richter l. c. p. 208.
3) Richter l. c. p. 135.
4) Richter l. c. p. 346.
5) Cic. de nat. deor. II 61. CIL I² p. 319. Richter l. c. p. 128. 129.
6) Richter l. c. p. 33. 36. 161.

die'. Met. XV 745 'hic tamen accessit delubris advena nostris'. Trist. IV 2, 55 'inde petes arcem et delubra faventia votis'.

domus. pps Vergilius Ae. I 140 'tenet ille immania saxa Vestras,‿Eure, domos;‿illa', ad synaloephas evitandas. II 635 'patriae perventum ad limina sedis Antiquasque domos' ante cons., de Aeneae domo patria. Ovidius met. IX 323 'nostrasque domos‿ut et ante frequentat' ante voc. III 596 'ventorumque domos‿et' ante voc. V 261 Uraniae verba 'quaecumque est causa videndi Has tibi, Diva, domos,‿animi' ante voc. Fast. III 876 'pervenit in Colchas‿aurea lana domos', attributi causa, ante voc. Met. VIII 822 de Fame 'inque domos‿inopes,‿adsueta revertitur antra'.

dona. pps inde a Lucretio, qui I 52 pluralem de opere suo, quod Memmio dedicaturus est, exhibet. Imprimis attributorum causa quorum singularis facile versui immitti non poterat, pps adhibetur: 'ne mea dona tibi studio disposta fideli Intellecta priusquam sint, contempta relinquas'. Vergilius sequitur[1]) ecl. VI 80 'quas illi Philomela dapes, quae dona pararit', de epulis agitur, quas ex Ityis Terei filii membris paratas Philomela Procnes sororis marito, qui Philomelam vitiaverat, proposuit. Ge. IV 1 'mellis caelestia dona‿Exequar', i. V. p.; mel deorum munus appellatur, cfr. Plin. n. h. XI 12. Ge. IV 519 'raptam Eurydicen atque inrita Ditis Dona querens', attrib. i. V., subst. i. I. p. Orpheo uxor mortua reddita est ea condicione, ne rediens ex Tartaro retro spectaret; quo iusso non servato Eurydice revocata, i. e. Orpheo Ditis donum irritum est. Ae. II 36 'pelago Danaum insidias suspectaque dona Praecipitare iubent', i. V. p., de equo ligneo; de eodem 189 'dona Minervae'; de eadem re singularis antecedit 31 'donum exitiale Minervae'. V 385 'ducere dona iube' (penthemimeres) et 390 'tantane tam potiens nullo certamine tolli Dona sines?' attrib. i. I., substant. i. V. p.; utroque loco agitur de uno tantum certaminis praemio, nimirum de tauro cuius i. v. 366 mentio fit. Similiter 399 'haud .. pretio inductus pulchroque iuvenco Venissem, nec dona moror'. VI 632 'praecepta iubent deponere dona' de ramo aureo; antecedit i. v. 629 de eodem 'munus' et 142 'hoc sibi pulchra suum fieri Proserpina munus Instituit'. 871 'vobis Romana propago

1) Braumueller p. 12.

Visa potens, superi, propria haec si dona fuissent', i. V. p., quae verba ad Marcellum iam adulescentem mortuum trahenda sunt. VIII 729 'clipeum Volcani, dona parentis' i. V. p. IX 361 'cingula .. quae mittit dona hospitio'. X 882 'venio moriturus et haec tibi porto Dona prius, dixit telumque intorsit in hostem'. Ovidius am. II 15, 8 'invideo donis‿iam miser ipse meis' ad synaloepham evitandam; donis i. e anulo, quem poeta puellae amatae dederat. Epist. XI 98 'pectoribus condam dona paterna meis', i. V. p., dona i. e. ensis, quem pater Canacae misit. XV 87 'ex aequo donis formaque probabat', sc. Paris Venerem, quae ei pulcherrimam mulierem promiserat. XVI 124 'ut me (sc. Helenam) maxima teste dea dona fuisse putem'. Met. XIII 289 de Achillis armis proprio sensu 'caelestia dona' i. V. p. — Fast. III 506 'pro caelo qualia dona fero?', verba Ariadnae quam Bacchus, quamquam se eam uxorem deamque in caelum ducturum esse promiserat, solam in insula reliquerat. IV 452 'Persephone . . . ad tua dona veni'. 558 'irrita materno sunt mea dona metu'; Ceres Triptolemo puero immortalitatem datura erat; quod deae donum matris metu irritum est Pont. IV 5, 45 fortasse pps 'servet sua dona, rogate', i. V. p. Ib. 491 'qui dona tulit Nesseo tincta veneno'. Met. VII 754 'dat mihi .. tamquam se parva dedisset Dona, canem munus', attrib. i. V., subst. i. I. p. IX 156 'blandisque miserrima verbis Dona det illa viro', attrib. i. V., subst. i. I. p. Deianira dono mittit Herculi 'imbutam Nesseo sanguine vestem' (153); 213 de eadem re: 'tune Licha .. feralia dona tulisti?' i. V. p. IX 419 'cur non aliis eadem dare dona liceret Murmur erat'; item 415 i. V. p. Utroque loco de uno tantum dono agitur: Callirhoe cum maritus Alcmaeon per fallaciam occisus esset, a Iove petivit liberis suis ut ultores patris essent, annos adiceret. Tum Iovis voluntate factum est, ut ex pueritia in adolescentes cederent. Nihil aliud poeta voce 'dona' exprimere vult; pluralis ergo cum singularis notione intellegendus est. Eodem sensu 402 'dona tributuram posthac se talia nulla', subst. i. I., attrib. i. V. p.; anteit 400 de eadem re 'muneris'. XIII 289 de Achillis armis (fortasse proprio sensu) 'donis patruelibus orbi'. VII 846 'et sua .. de volnere dona trahentem', de telo quod Cephalo a coniuge Procride tributum esse fertur. III 309 'donisque iugalibus arsit', sc. Semela quae a Iove amoris pignus petivit

ut ad se eodem apparatu veniat atque quo Iunoni apparere solitus sit. Iuppiter voluntati obsecutus fulminibus domum Semelae ingressus est: Semele optatis flammis interiit. Dubitari potest de epist. XVIII 11 'dona palaestrae', et VII 192 'dabis in cineres ultima dona meos' (Didonis verba).

effugia. pps Vergilius[1]) Ae. II 140 Simonis verba qui se, postquam a Graecis ad mortem destinatus sit, effugisse fingit 'poenas ob nostra reposcent Effugia‿et', attrib. i. V. subst. i. I. p. Ovidius semel singularis dat. exhibet art. II 21.

electra[2]). Ovidius am. III 12, 37. Met. II 365 'de ramis electra novis'; contra met. XV 316 'electro similes faciunt'.

enses de uno tantum ense. Ovidius epist. III 108 'perque tuos‿enses cognita tela meis' de ense Achillis, ad synaloeph. evitand. Met. XV 806 'et Diomedeos‿Aeneas fugerat enses'. Ad Liv. 312' ensibus et Suevos terga dedisse suis'.

eventus. pps Vergilius[3]) ge. IV 397 'expediat morbi causam eventusque secundet'. Ae. VI 158 'caecosque volutat Eventus‿animo secum'. X 160 proprio sensu 'secumque volutat Eventus belli varios'. Tibullus pps I 6, 50 'et canit eventus quos dea magna monet'. I 8, 4 (nescio an proprio sensu) 'praecinit eventus nec mihi cantus avis'. Ovidius am. I 10, 48 'parcite formosae pretium pro nocte pacisci Non habet eventus sordida praeda bonos'. Epist. XIX 164 'respice ad eventus:‿ haec cubat, ille valet'. Met. VII 97 'perque patrem soceri cernentem cuncta futuri Eventusque suos‿et tanta pericula iurat'. XIII 575 'eventus‿Hecubam meruisse negaverit illos'. Trist. I 10, 11 proprie 'tot eventus'.

exilia. pps inde a Vergilio[3]) Ae. II 780 'longa tibi exilia et', attributi causa, quod ante cons. singularis spondeum effecisset; singul. acc. 638 ēxĭlĭūmquĕ pati'. VII 129 'exiliis positura modum'. Proprio sensu III 4 'diversa e'. pro variis exsilii locis; abl. sing., ut alios locos omittam. Ae. II 798 'collectam exsilio pubem'. Ovidius met. XV 515 'corda pavent comitum: mihi mens interrita mansit, Exiliis contenta suis', ante cons.; ex Pont. II 9, 66 'terra sit exiliis‿ut tua fida meis', ad hiatum evitandum. II 5, 8 'diceris exiliis‿indoluisse

1) Braumueller p. 16.

2) Bednara p. 543. Neue I 620. Maas 494. 521.

3) Braumueller p. 16. Spitta p. 37.

meis', ad hiat. evitand.; nom. vel acc. plur. non obvius est, contra sing. nom. acc. gen. abl. saepius inveniuntur.

exordia. Ennius semel sing. in sc. 248. pps inde a Lucretio I 149 'principium cuius hinc nobis exordia sumet', i. V. p.; sequitur Vergilius[1]) proprie ecl. VI 34 'exordia Omnia' i. V. et I. p. pps Ae. IV 284 'audeat adfatu? quae prima exordia sumat?', i. V. p. VII 40 'primae revocabo exordia pugnae', i. V. p. Ovidius hoc vocabulo non utitur.

facta pro 'factum'. pps fortasse primum apud Tibullum III 6, 42 'cecinit pro te .., Minoi, Catullus Ingrati referens impia facta viri', post pentam. caes. et i. V. p.; de Thesei agitur perfidia, qui Ariadnam solam in insula reliquerat. Saepius Ovidius pps usurpat. Epist. X 99 'viveret Androgeos utinam. nec facta luisses Impia funeribus Cecropi terra, tuis' — facta i. Androgeos Minois filius ab Atheniensibus trucidatus erat. i. V. p. subst., attrib. i. I. Met. V 635 'citius quam nunc tibi facta renarro In latices mutor'. Arethusae verba, i. V. p. IX 617 'si facta mihi renovare licet', de epistula agitur, in qua Byblis fratri amorem incestam confessa est. XI 323 Diana Chionem quae se deae pulchritudine praestare gloriabatur, sagitta interfecit i. e. factum, de quo poeta eam dicentem facit haec verba 'factisque, placebimus, inquit'. XIV 697 'referam tota notissima Cypro Facta quibus', sc. fabulam Arethusae, quae cum Iphidis amorem contempsisset a Venere in lapidem mutata est, i. V. et I. p. Ex Pont. II 3, 98 fortasse pps 'laudarunt omnes facta piamque fidem', de Orestis Pyladisque fortuna. Fast. III 309 'factis‿ignoscite nostris'; Numa Faunum deique comites, ut futura cognosceret, vinxerat. IV 596 'emendat facta priora novis', i. V. p., de Proserpina a Plutone rapta.

farra[2]). Primum pluralis obviam fit in carmine rusticorum antiquo, quod nobis servatum est apud Macrobium in Sat. V 20, 18 et Serv. ad Verg. ge. I 101. Cum E. Norden sic scribo: 'hibernod polverid | vernod lutod Grandia farra | casmile metes'. Vergilius pluralem exhibet primus dactylicorum poetarum in ge. I 73 'aut ubi flava seres mutato sidere farra', 101. 219. III

1) Cfr. Spitta p. 35. Braumueller p. 16.

2) Neue I 608. 748. Maas 506. Bednara 557. Norden, Die ant. Kunstprosa p. 159.

127. In Lygdami IV eleg. v. 10 abl. 'farre pio placant et saliente sale'. Ovidius eodem modo ac Vergilius hanc vocem usurpavit. Pluralis hisce locis extat: am. III 10, 7 (i. V. p.) farra. 40. A. a. I 758 (i. V. p.) 'hic bene farra virent'. Fast. I 128 'farraque mixta sale', i. V. p.; itemque 693. II 24. 519 i. V. p. 520 post pent. caes. inter pluralia illa de eadem re occurrit i. v. 523 'farre' videlicet i. V. p. III 284 (i. V. p. cum attributo). 445 i. V. p. IV 409 i. I. p. VI 180. 313. 170 legis i. V. p. abl. sing., qui etiam in fast. I 672 obvius est i. I. p.; nom. sing. semel tantum apud Ovidium invenitur i. fast. I 338 ante voc. i. I. p. 'fār ĕrăt et'. Vergilius et singulari et plurali promiscue utitur. Abl. sing. i. I. p. extat Ae. V 745 'fārrĕ pĭō et'. gen. sing. i. ge. I 185 'ingentem farris acervum', i. V. p. ante voc. Ae. IV 402 similia verba: 'ingentem formicae farris‿acervom'; nom. vel acc. sing. non invenitur.

favillae[1]). Pluralis primum in eleg. in Maec. 2, 21 invenitur, quo loco per analogiam vocis 'cineres' pluralis adhibitus videtur esse: 'ipse ego, quidquid ero, cineres interque favillas'. Ovidius met. II 231 pluralem 'cineres' coniungit cum singulari 'favillam': 'cineres eiectatamque favillam', pluralis 'cineres' ante voc. ad elisionem evitand. — Quod Ovidius in operibus posterioris temporis pluralis et acc. et nom. adhibet, eo tempore hanc vocem pluraliter iam in usu fuisse concludimus. Plur. occurrit hisce locis: fast. II 523 'nigras pro farre favillas', nom. plur. III 561 'mixta bibunt molles lacrimis unguenta favillae'. Pluralis, ut Maasius suspicatur, ob verbum 'ăccĭpĭūnt' quod sequitur, in usum vocatus est a poeta. Singularis et nominativus et genetivus et ablativus obviam fiunt.

flumina — ῥέεθρα[2]) apud Homerum, Hesiodum, Bacchylidem non nisi pluraliter, sing. primum in Pind. Ol. IX 18, Aeschyl. Pers. 497. Prom. 790. Similis usus invenitur vocis ῥοαὶ[3]) cuius sing. primum Soph. Antig. 1238 exhibet. — Ennius singularem tribus locis, pluralem poeticum adhibuit semel 597 (apud Valm.) 'miscent foede flumina candida sanguine sparso'. Quo in usu

1) Maas p. 519. Rhein. Mus. LII. p. 450 (ad tempus quo elegia composita sit, destinandum).

2) Witte l. c. p. 6. 55.

3) Witte p. 5. 176.

sequitur Lucretius, VI 1114 'flumina Nili', i. V. p. Idem exstat apud Catullum[1]) 64, 89 'Eurotae .. flumina', i. V. p., apud eundem 360. Vergilius[2]) ecl. I 51 'hic inter flumina nota Et fontis sacros frigus'. VI 64 'Permessi ad flumina', i. V. p. IX 40 fortasse plurativo sensu et ge. III 18 i. V. p. pps ge. III 180 'Alphea . . flumina'. i. V. p. IV 278 'curva . . prope flumina Mellae', i. V. p. 360 de Peneo 'alta iubet discedere late Flumina', i. I. p. 457 'te fugeret per flumina praeceps' i. V. p. Ae. V., 684 'nec vires heroum infusaque flumina prosunt' i. e. aqua in naves ardentes infusa. VI 298 Charon 'has horrendas et flumina servat' i. V. p., de Acheronte cfr. 295. 369 'flumina tanta paras Stygiamque innare paludem'. 388 'qui nostra ad flumina tendis', i. V. p., Styx intellegenda est, cfr. 384 de eadem 'fluvioque propinquant', et 385 'Stygia .. ab unda'. 711 'quae sint ea flumina porro', i. V. p., sequitur 'Lethaei ad fluminis undam'. VIII 713 'Nilum .. vocantem .. in gremium latebrosaque flumina victos'. IX 104 'Stygii per flumina', i. V. p. 585 'Symaethia circum Flumina', attrib. i. V. subst. i. I. p. X 113 eadem verba eodemque versus loco ac IX 104. XI 659 'flumina Thermodontis', i. V. p. XII 331 'flumina .. Hebri'. 518 'flumina Lernae, i. V. p. Ciris 113 'flumina Caeratea', i. V. p. Tibullus pluralem proprio sensu saepius i. V. p. habet. pps II 5, 69 'quasque Aniena sacras Tiburs per flumina sortes', i. V. p. Propertius I 20, 43 'haurire parat .. flumina palmis', quo loco Rothstein in comment. vocem 'flumina' generatim pro aqua intellegendam esse censet. II 19, 25 'qua formosa suo Clitumnus flumina luco Integit', i. V. p. II 28, 18 'Nili flumina vacca bibit', post pentam. caesuram. III 11, 51 'văgă flūmĭnă Nīlī', attrib. post pent. caes. subst. i. V. p. (cfr. Rothst.). Ovidius am. III 6, 64 'flumina nostra tenent', sc. Anies fluvius; met. XIII 897 'tenuerunt flumina nomen', i. e. Acis; cfr. 896 'in amnem versus'. XV 753 'septemflua flumina Nili'. ex Pont. II 5, 22 'e rivo flumina magna facis'. III 4, 92 'qui sum summotus ad Histrum Non bene pacatis flumina pota Getis'. Fast. IV 467 'Amenanaque flumina'; et in hoc et in ceteris exemplis Ovidianis plur. i. V. p. extat.

---

1) Slotty l. c. p. 16. 40. 45. 47. 48. 50.

2) Spitta l. c. p. 46. 47. Braumueller p. 12. Appel p. 22. O. Keller l. c. p. 204.

foci[1]) — ἐσχάραι[2]). Homerus et sing. et pluralem proprio sensu exhibet; pps iam apud Aeschylum in Eum. 806; in eiusdem fabulae v. 108 exstat sing.; pluralem proprio sensu iam Plautus adhibet in Amph. 226; item Catullus 68, 101/2. Cicero plur. saepius sibi permisit ita ut non semper pro certo dici possit utrum sensu plurativo necne. pps primum apud Vergilium obvius est in Ae. III 178 'munera libo Intemerata focis', ante cons. et in arsi. XII 118 'in medioque focos et dis communibus aras Gramineas', haud scio an plurativo sensu; itemque 285. VII 680 'regem Inventumque focis‿omnis quem credidit aetas'. Tibullus II 2, 3 'urantur pia tura focis,‿urantur odores', de natalis ara; cfr. v. 1. II 5, 52 'Vestales deseruisse focos'. III 11, 12 'infidos, sancte, relinque focos'. III 12, 4 'staret ut ante tuos conspicienda focos'. Ovidius am. III 6, 76 plurativo sensu; epist. VII 24 Didonis verba 'uror ut inducto ceratae sulpure taedae Ut pia fumosis‿addita tura focis'. XX 94 'festaque fumosis‿ingerit exta focis'; cfr. fast. IV 638. Trist. I 3, 44 poetae uxor 'contigit extinctos‿ore tremente focos'. IV 2, 14 'quae sine crimine castos Perpetua servant virginitate focos', de Vestae foco. V 5, 10 'araque . . de caespite fiat Et velet tepidos nexa corona focos'. V 11, 18 'me patriis‿iussit abire focis'. Ex Pont. I 1, 52 'vidi . . numen violasse Isidis Isiacos‿ ante sedere focos'; ex Pont. I 3, 34 optat 'fumum de patriis posse videre focis'. IV 8, 42 'victima Tarpeios‿inficit icta focos'. II 1, 32 fortasse pps 'tura prius sanctis‿imposuisse focis'. Fast. I 630 'ne violent puros‿exanimata (sc. scortea) focos' (antecedit 'sacello'). II 542 'adde preces positis‿et sua verba focis', cfr. versus antecedentes, imprimis 537 'tegula'; proprio sensu i. v. 564. pps 646 'ara fit: huc ignem curto fert rustica testu Sumptum de tepidis‿ipsa colona focis'. III 30 'ignibus Iliacis aderam, cum lapsa capillis Decidit ante sacros lanea vitta focos‿ Inde'; itemque 142 'cedit ab Iliacis laurea cana focis'. 284 'aliquis, modo trux, visa iam vertitur ara . . dat tepidis salsaque farra focis'. 418 'quisquis ades castaeque colis penetralia Vestae . . Iliacis turaque pone focis', itemque de Vestae foco 698 'cum sic a castis Vesta locuta focis', itemque IV 296 'quaeque colunt sanctos virginitate focos', cfr. supra trist. IV 2, 14;

1) Spitta p. 12. Braumueller p. 11. Bednara p. 540.

2) Witte l. c. p. 27. 42.

contra sing. de Vestae foco extat VI 268 et 301. — X 510 'ille (Celeus) deorum glandes .. portat, et arsuris‿arida ligna focis'. IV 742 'et crepat in mediis laurus adusta focis'. 935 'tura focis vinumque dedit, fibrasque bidentis'. VI 308 'ante Vacunales stantque sedentque focos', fortasse plurativo sensu. Itemque 317 'inde focum servat pistor dominamque focorum'. 456 'ignis in Iliacis nunc erit estque focis'.

fora. pps inde ab Ovidio ad Magnum forum Romae significandum. Nonnullis locis etiam de foro alius urbis agitur, sed in hisce quoque exemplis de uno tantum foro pluralis intellegendus esse mihi videtur, velut epist. XVIII 11, qua in epistula Hero queritur, quod Leander Abydi longius versaretur 'aut fora vos retinent aut unctae dona palaestrae', i. I. p. sing. ante cons. creticum efficit fōrūm. Art. I 79 'et fora conveniunt .. Amori', itemque i. I. p. et ante cons.; sequitur in v. 80 'foro'. Rem. 151 de foro, ubi causae agebantur 'sunt fora, sunt leges, sunt, quos tuearis, amici', i. I. p. et ante cons. 670 'nec petere a thalamis litigiosa fora', i. V. p. Trist. III 1, 27 'haec sunt fora Caesaris, inquit'. Fast. IV 188 'et fora marte suo litigiosa vacent'. VI 401 'hoc, ubi nunc fora sunt, udae tenuere paludes'.

freta[1]). De anni tempore, quo ver abiit nec tamen aestas adest, Lucretius hoc vocabulo et singulariter et pluraliter promiscue utitur VI 364 'nam fretus ipse anni permiscet frigus et aestum'. Plur. 374 'propterea freta sunt haec anni nominitanda'. — Postea longe alio sensu hoc nomen in usum vocatur, nimirum ad mare aut undas denotanda. Sed imprimis de mari intellegendum est et pluralis extat pro singulari, quem scriptores posuissent illis locis, ad brevium syllabarum numerum augendum. Vergilius ge. I 356 'freta ponti', i. V. p. II 503 fortasse sensu plurativo 'remis freta caeca ruunt'. Itemque III 260. Ae. I 557 'at freta Sicaniae', i. I. p. II 312 'Sigea igni freta lata relucent'. III 127 i. I. p., fortasse plur. sensu. V 141 'abductis spumant freta versa lacertis', i. V. p. X 147 'media Aeneas freta nocte secabat'. 210 'caerula concha Exterrens freta', sc. Triton, attrib. i. V. p. Tibullus I 4, 22. 46 post pentam. caes. I 9, 9. P. 194 semper i. V. p., fortasse sensu

1) Witte l. c. p. 6. 7 etc. πέλαγος. κύματα.

plurativo. I 4, 22 'Per terras et freta summa ferunt', i. V. p. Ovidius saepissime plurativo sensu. Epist. X 87 pps 'et freta dicuntur .. expellere phocas', i. I. p. X 146 'tendo trans freta longa manus', i. V. p. XIII 5 'tum freta debuerant vestris obsistere ventis'; dubitari potest utrum pluralis proprio an singulari sensu intellegendus sit. X 103 'quid tu freta longa pererras', eadem verba XV 22. XV 58 'et freta prospiciens' Paridis verba, i. I. p. XVII 8 'freta ventis Turbida', mare inter Sestum Abydumque fluctuans intellegendum est; subst. i. V., attr. i. I. p. Itemque 172 et XVIII 209 'freta pervia non sunt'. Plurat. sensu 143 et Sapph. 65 i. V. p. Met. IV 552 'prosequar .. In freta reginam', i. I. p. VI 104 'freta vera putares'. 445 'iubet ille carinas In freta deduci', i. I. p. Pariter 691 sing. suffecisset et VII 201 'stantia concutio cantu freta' (Medeae verba). 460 'freta classe pererrat'. VIII 587 'in freta provolvi', i. I. p., sequitur 'fluctus .. maris', de eadem re. 142 'per freta longa trahar', plurativo sensu item ac VII 67 'per f. longa ferar' (I). X 654 'posse putes sicco freta radere passu'. XI 150 'nam freta prospiciens', i. I. p. pps. — 463 'aequalique icta scindunt freta'. 749 pps 'hos aliquis iunctim freta lata volantes Spectat', i. V. p. XIV 599 'litus adit . . . serpit In freta flumineis . . undis', i. I. p. XV 516 'colla feroces Ad freta convertunt', i. I. p. V 18 'dederit nauti per freta saeva manum', de undis proprio sensu; etiam I 5, 61. pps V 2, 76 'vel freta Leucadii mittar in alta dei', subst. i. I., attrib. i. V. p. Rem. 279 'et freta mota vides et debes illa timere', subst. i. I, attrib. i. V. Ex Pont. III 1, 15 'tu glacie freta vincta tenes, et in aequore pisces'. IV 9, 32 fortasse plur. sensu. Fast. III 868 'per freta longa', i. V. p., eadem verba V 660. VI 495 i. V. p. 'freta bina'. V 244 plur. sens.

fumi[1]). Charis., Phoc., Albin. de orthogr. 2235 (VII 302, 4) singulare tantum hoc nomen esse contendunt. Gellius contra N. A. XIX 8, 10 non semper ἑνικῶς dici testatur. Pluralis in optimorum scriptorum operibus nisi semel apud Caesarem in b. G. V 48 (sub fine) non invenitur. Quo loco haec verba legis 'tum fumi incendiorum procul videbantur'. — Poetae et plurali et singulari promiscue et ut mihi quidem videtur sine ulla notionis differentia hanc vocem in usum vocant. Lucretius

1) Neue-Wagner I 625.

huius usus initium fecit, qui VI 104 pluralem exhibet concinnitatis causa et quia attributi forma plurativa facilius hexametro immitti potest: 'tam tenues quam sunt nebulae fumique volantes', sequitur i. v. 106 'fumus' (in arsi ante cons.) et 691 'crassa volvit caligine fumum'. Vergilius duobus tantum locis pluralem sibi permisit: ge. II 217 'tenuem exhalat nebulam fumosque volucris', et ge. IV 230 'ore fove fumosque manu praetende sequacis'. Singularis apud eundem saepius obvius est. Ovidius plura plurativi usus praebet exempla. Rem. 185 'suppositos fugiunt examina fumos'. Met. I 571 'tenues‿agitantia fumos Nebula'. XV 351 'exiguis‿ardescunt sulpura fumis'. 734 'odorant aëra fumis‿Icta'. Trist. V 5, 29 'fumos e ture coortos‿In'. Ib. 239 'fumis contactus amaris'. Fast. I 343 'ara dabat fumos‿herbis'. 577 'ille cadit mixtosque vomit cum sanguine fumos'. IV 739 'caerulei fiant de vivo sulpure fumi'. Sing. saepius legis ut met. II 232 'calidoque involvitur . . fumo'. XIII 601 nigrique volumina fumi'. Ex Pont. I 3, 34 'fumum de patriis posse videre focis'.

furta. pps inde a Vergilio. Ge. IV 346 'Martisque dolos et dulcia furta' de Veneris amore; pluralis per vocis 'dolos' plurativum numerum et quia i. V. p. syllabae breves poetae suppeditant, in usum vocatus videtur esse. Idem iudicandum est de Ae. IX 150 'tenebras et inertia furta', i. V. p. XI 515 'furta paro belli', i. I. p., cfr. X 735 'haud furto melior, sed fortibus armis'. Ciris 215 'caeruleas sua furta prius testatur ad umbras', Scyllae 'furta' i. e. crinis Nisi patris aureus ablatus. Tibullus III 11, 7 de amoris gaudiis quibus amantes furtim fruuntur 'dulcissima furta', i. V. p. Ovidius ep. XV 291 'Iuppiter his gaudet, gaudet Venus aurea furtis‿Haec tibi nempe patrem furta dedere Iovem', sc. Helenae. 300 'neve sui furtis‿hospitis (sc. Paridis) obstet' (Menelaus), de Helena a Paride rapta pluralis intellegendus est; extat videlicet ad hiatum evitandum. XVII 64 'flecte . . vultus ad mea furta tuos', i. V. p., Leandri verba. Art. I 33 'nos Venerem tutam concessaque furta canemus', i. V. p. II 428 'furta', i. V. p.; nescio an concinnitatis causa, quia 'crimina' eodem l. in v. 427 antecedit. 617 'conveniunt thalami furtis‿et ianua nostris'. 640 i. V. p. 'furta' plurativo sensu et 555. Met. I 606 'furta mariti' proprie de Iovis amoris casibus. II 696 'lapis iste prius

tua furta loquetur', de eadem re anteit 687 singularis 'furtum' et idem numerus sequitur 700 'furtoque'. III 7 'furta Iovis', i. I. p. Cadmi soror a Iove rapta intellegitur. IV 175 'furta tori furtique locum monstravit', i. I. p., de eadem re et sing. et plur. in eodem versu; de Veneris et martis amore agitur, quos amantes Sol in adulterio deprehenderat. IX 558 'dulcia fraterno sub nomine furta tegemus', i. I. et V. p. de Byblidis fratrisque amore. XIII 32 'furtis et fraude simillimus illi' (sc. Ulixi). 104 'furtis incautum decipit hostem'. 111 'nataeque ad furta sinistrae', i. V. p. Ulixis manus intellegenda est. Trist. II 249 et 347 proprio sensu. 432 'detexit variis qui sua furta modis', sc. Calvus in elegiis, i. V. p. 440 'non potuit Veneris furta tacere suae', post pent. caes. Fast. I 560 'mugitum rauco furta dedere sono'. III 21 'Mars videt hanc, visamque cupit, potiturque cupita Et sua divina furta fefellit ope', post pent. caes. Mars Ream Silviam virginitate privavit. 846 'an quod habet (Pallas) legem capitis quae pendere poenas Ex illo iubeat furta reperta loco', post pent. caes. 'furta' i. e. res e templo ablata. VI 433 'furtis aptus Ulixes'. — Singularis nominativus genet. abl. saepius inveniuntur.

gramina[1]). Cato agr. 151, 2 graminibus. Apud optimos scriptores pluralis in usum non vocatur; dactylici poetae pluralem exhibent inde a Vergilio, qui plurali duodecies (accedunt tria exempla quae obviam fiunt in Cul. et Cir.) utitur, nimirum accusativo vel nominativo. Idem singularis casus bis tantum apud Vergilium invenitur: ge. IV 63 in hexametri fine et Ae. IX 353 'videbat Carpere gramen equos'. Abl. sing. semper occurrit, velut ge. II 219 i. V. p., eodem versus loco 525 et III 144 et Ae. III 537 et XII 664 i. IV. p. Ecl. V 46. Cul. 69 i. V. p. Pluralis 'gramina': Ecl. X 29 i. V. p. Ge. I 56 i. I. p., sed attrib. antecedit i. V. p. 'iniussa virescunt Gramina'. II 200 i. V. p. 332 i. V. p.; itemque III 174. 325. IV 19. Ae. II 471 'mala gramina pastus'. VI 684 VII 655. i. I. p. VII 809 XII 415. Cul. i. V. p. 47. 50. Cir. 300 'ageres ad gramina nota capellas'. Aetna 356 'arida sordet Gramina', attributum i. V. p., subst. i. I. p. Propertius II 4, 8 'gramina cocta

1) Spitta p. 45. Braumueller I 10. Appel 41. 70. Maas p. 497. 523 n. Bednara p. 73. Deest apud Neuium.

manu' post pentam. caes., attrib. i. V. p., eodem versus loco IV 2, 26 'gramina secta manu'. Ovidius rem. 261 'Phasiacae . . . gramina terrae', i. V. p. Met. II 407 i. V. p. et VII 137 et 228 et IX 656 i. I. p. XIV 266. Trist. IV 8, 20 post pentam. caes. 'gramina carpit equus'. V 1, 32 'mollia quot Martis gramina campus habet'. V 4, 10 'mollia prato Gramina', attrib. i. V. p., subst. i. I. p. Ex Pont. I 6, 52 post pent. caes. i. I. p. I 7, 37 et IV 14, 13 et Fast. VI 749. Dativus pluralis bis: epist. XV 66 'graminibus teneros imponere pedes' et med. 37. Abl. plur. semel epist. V 153 'graminibus tellus fecunda creandis'. Nominativus vel accus. singul. saepius obviam fit, velut am. I 8, 7 ante cons., in epist. Sapph. 148 'gramen erat', i. V. p. ante voc. Itemque rem. 178 ante voc. i. V. p. Met. I 299. 633 i. V. p. ante voc. III 411 'gramen erat circa', i. I. p. V 486 in versus fine itemque VII 232, XIV 646. Ib. 401 'grāmĕn hăbentibus herbis'. Fast. III 297 'in medio grāmēn mūscoque'. IV 397 in versus fine; gen. sing. semel met. X 87 'grāmĭnĭs hērbāē', i. V. p. ante voc.; abl. sing. saepius am. II 6, 50 'perpetuo gramine terra viret', post pent. caes. Am. I 14, 22 post pent. caes. Met. II 841 'gramine pasci'. IV 215 ante voc. 'pro gramine‿habent', i. V. p. VII 152 et XIV 34. Pont. IV 8, 41 ante cons. et Fast. I 402 i. I. p.

harenae[1]). Pacuv., Cato, Varro r. r., Lucr., Catullus, Cic. Sall., Caes.[2]) vocem illam non nisi singulariter adhibent. Pluralem primum Vergilius sibi permisit, proprio sensu ge. II 106 'multae harenae'. Ae. III 557 'aestu miscentur harenae'. IX 714 'nigrae attolluntur harenae'. Accusativus plur. bis ad elisionem vel hiatum evitandum: ge. II 232 'summas‿aequabis harenas'. III 350 'flaventis‿Hister harenas'; ablat. plur. ge. II 139 'tumiferis Panchaia pinguis harenis', versus sequens incipit a verbo 'haec'. Ae. I 107 'furit aestus harenis', dativus plur. obvius non est, saepius autem sing.; ablat. sing. aliquoties invenitur et accus. sing. velut ecl. III 87 in versus fine 'harenam', eodem loco ge. I 70 et ge. III 241 et Ae. VI 297 et IX 629 et XI 626. Horat. carm. III 4, 31 'temptabo et urentis‿arenas Litoris', ad elisionem evitandam et quia litterae m et l, si con-

1) Braumueller I 11. Neue I 616. Arch. XIV 65/66. Bednara 52. Witte ψάμαθος 12. 43 sqq. 46. 78. 237. κονίη 11. 40. 41. 73².

2) Gell. n. A. 19, 8, 8. Kübler, comment. Caes. III p. 41. Slotty 36.

currunt, aures offendunt. Propertius III 3, 23 'alter remus aquas,‿alter tibi radat harenas' concinnitatis causa; pluralis 'aquas' elisionis evitandae causa (metroque iubente) positus est. III 14, 17 'Eurotae .. harenis‿Hic'. Cum versus sequens a littera 'h' incipiat, plurali hiatus evitatur. Quos poetas in plurali adhibendo secutus est Ovidius, qui etiam sing. et plur. promiscue utitur. Nonnunquam quoque exhibet pluralem nulla cogente causa, velut am. II 11, 47 'molles sternentur harenae'; art. III 395 'maculosae sanguine harenae'. Met. X 701 'sūmmāe cāudā vērrūntŭr hărēnāe', spondei gravitatem atque pondus denotant, singularis 'sūmmă .. vērrĭtŭr' ad metrum non quadrat. Accusativus pluralis: am. II 19, 45 in versus fine nulla cogente causa. Epist. XII 13 'in nostras quoniam nova puppis harenas Venerat', quia singulari posito et m litterae nimis cumulantur et 'harenam Venerat' aures offendit, plur. adhibitus est. Met. II 456 'attritas‿versabat rivus harenas', litterae m et v, si singularis adhibetur, concurrunt. Itemque IV 617 'Lybicas‿victor .. harenas'. V 352 'resupinus harenas‿Eiectat', singularis ante voc., cum versus 352 et 353 cohaereant, elisionem efficit. VII 267 'et quas‿Oceani .. harenas', versus sequens a vocali incipit. Vocali a qua versus sequens incipit hoc loco auctoritas ribuenda non est, cum voce 'harenas' sententia comprehensa sit. IX 61 'harenas‿ore momordi'; elisionis evitandae causa. XI 615 'silva gerit frondes,‿eiectas litus harenas', concinnitatis causa pluralis 'harenas' positus est; plur. 'frondes' ante voc. metro postulatur. XV 279 'Sicanias‿volvens Amenanus harenas‿Nunc fluit'. Ne litterae 'm v' et 'm n' concurrant, pluralis a poeta usurpatus est: euphoniae causa. Trist. I, 1, 55 'quot litus harenas Quotque fretum pisces, ovaque piscis habet'; plur. concinnitatis causa extat, nisi poetam de harenae granis cogitavisse tibi persuades. Idem dicendum est de V 1, 31 'quot frutices silvae, quot flavas Thybris harenas, Mollia quot Martis gramina campus habet'. Trist. V 5, 57 'Iliacas tangat prior alter harenas', versus sequentis primum nomen a consonanti incipit. Quare plur. h. l. nulla cogente causa exhibitus videtur esse. Tr. V 6, 43 'in litus harenas In segetem spicas, in mare fundat aquas', pluralis et concinnitatis et imprimis elisionis evitandae causa. Dativus et ablat. plur.: epist. XVIII 201 'bibulis‿inlisit fluctus harenis,‿Unda' et ad elisionem et hiatum evitand. Art. I 527

'in ignotis‿amens errabat harenis', ad elisionem evitand., attributi causa. Met. II 865 'latus in fulvis niveum deponit harenis'; nulla causa cogente. XI 56 'peregrinis‿anguis harenis‿Os petit'. 88 'caris‿erat invidiosus harenis', versus sequens a vocali incipit. 231 'summis‿inductum .. harenis'. 355 'fulvis genua inclinarat harenis Latarum', nulla cogente causa. XV 268 'siccis‿humus aret harenis'; ad hiatum evitand. Ex Pont. I 3, 49 'desertus harenis', nulla cogente causa; itemque fast. III 479 'desertis perituram .. harenis'. Orationis solutae scriptores ante Livium pluraliter hac voce usi non sunt.

hederae[1]). Pluralis poet. inde a Vergilio ge. II 258 'hederae pandunt vestigia nigrae'. Cul. 141 'hederaeque ligantes'; accusat. plur. ecl. IV 19 'errantis‿hederas passim', ad elisionem evitand.; eadem de causa ge. IV 124 'pallentisque hederas‿et', abl. sing. ecl. VII 25 'hedera crescentem ornate poetam' et 38 'hedera formosior alba', accusat. sing. ecl. VIII 13 'hederam tibi serpere laurus'. Ex hisce exemplis non dubito quin tibi eluceat poetam pluralem praecipue dativum ablativumque et accusativum non nisi ad elisiones evitand. i. e. metro iubente sibi permisisse. Horatius carm. I 1, 29 'me doctarum hĕdĕrāe prāemĭă frontium'; metrum cogit pluralem et quia sing. 'hĕdĕră', cum in minore Asclep. versus ante caesuram syllaba longa esse debeat, et sing. 'prāemĭūm', cum post caesuram merus dactylus ponendus sit neque creticus versui inmitti possit, ad metrum non quadrant. Carm. I 36, 20 itemque in minore Asclep. versu, sed hoc loc et sing. ablativus adhiberi potuisset nisi eo bis hiatus efficeretur: 'lascivis‿hederis‿ambitiosior'. Tibullus hac vocula semel utitur, nimirum in ablat. sing. (L) III 6, 2. Propertius I 2, 10 'ēt vĕnĭānt hĕdĕrāe sponte sua melius'; verbi 'veniant' pluralis a metro postulatur, sing. 'ēt vĕnīt' nimirum creticus ad hexametrum non quadrat. Item iudicandum est de II 5, 26 'rusticus .. cuius non hederae circuiere caput', ubi praeter verbum 'cīrcŭīt' etiam substant. 'hĕdĕră' versui immitti non potest. III 3, 35 'haec hederas legit in thyrsos, haec carmina neuris aptat, at illa .. texit .. rosam', concinnitatis causa plur. non extat, cum 'rosam' sing. sequatur. Sed euphoniae auctoritate h. l. plur. adhibitus esse mihi videtur: litterae 'm l' concurrentes aures offendunt. Ovidius nominat.

1) Neue I 615. Maas 528. Bednara 537.

plur. art. III 411 'nunc hederae sine honore iacent operata', sing. 'hĕdĕră' neque 'ĭacĕt' ante voc. ad metrum quadrant. Idem iudicandum est de met. III 664 'impediunt hederae remos', itemque de IV 365 'solent hederae longos'. X 99 'vos quoque, flexipedes hederae, venistis et', neque sing. 'flēxĭpēs' quia creticum praebet, neque sing. 'hĕdĕră' quia est tribrachys, neque 'venisti' ante vocal. quia hiatus efficitur, versui immitti potest. Genit. plur. semel met. VI 599 'vultūs hĕdĕrārūm frondibus abdit'. Accusativus plur. trist. I 7, 2 'deme meis hederas, Bacchia serta, comis'. Singul. 'hederam' (ante cons.) quamquam sine ulla dubitatione immitti potest versui, tamen plur. metro postulatur quia appositionis verba, si singulariter exhibentur — Bācchĭūm sērtūm —, minime ad versum heroicum quadrant. Ablat. plur. semel met. VI 128 'nexilibus flores hederis‿habet intertextos', sing. 'hedera' ante voc. hiatum efficit, etiam forma nexilibus –◡◡– poetae suppeditat. Nominativus sing. 'hēdĕră' qui non nisi a duobus consonantibus nomen sequens incipit versui immitti potest — non invenitur. Genet. sing. velut trist. V 3, 15; accus. sing. obvius non est. Ablat. velut am. III 9, 61. Met. V 338. Fast. III 767. V 79. VI 483. Si numerum exemplorum in quibus ablat. sing. adhibetur comparas cum ablat. plur. exemplorum numero — semel tantum apud Ovidium abl. plurativus occurrit —, etiamsi ceterorum casuum exempla et sing. et plur. comparaveris, non dubito, quin tibi persuasurus sis poetas et hunc et alios plurali imprimis metro iubente usos esse.

h o r d e a[1]). pps primus Vergilius ecl. V 36 'Grandia . . hordea' attrib. i. I., subst. i. V. p.; cfr. Serv. i. comm. ad h. l. Ge. I, 210, i. V. p. et 317. Quo in usu Vergilium imitatus est Ovidius. Rem. 53 'hordea' i. I. p. 56 'hordea unda' post pent. caes. 95 i. I. p. Met. XIV 273 i. V. p. Fast. I 694 i. I. p.

i n c e n d i a[2]). Ennius in annalibus hoc vocabulo usus non est, in sce. 63 semel sing. 'incendio'; pluralis inde a Lucretio, qui eum imprimis in V. p. exhibet, Catullo, Sallustio. Catullus 23, 9 generaliter et concinnitatis causa ('incendia . . ruinas, furta . . . dolos'). 64, 226 sensu translato 'incendia

1) Koene p. 59. Appel 16. Neue [3]I 486—490. 587. Maas 495. 504. 508 sqq.

2) Braumueller I 12, 28. Appel 21. Hailer 23. Bednara 544.

mentis', i. V. p. pps inde a Vergilio. Ge. II 311 (fortasse) generali vi 'glomeratque ferens incendia ventus', i. V. p. Ae. I 566 'tanti incendia belli', i. V. p. II 329 'Sinon incendia miscet', i. V. p. 569 'dant claram incendia lucem', i. V. p. 706 'aestus incendia volvunt', i. V. p. V 680 'flamma atque incendia vires ... posuere', i. V. p. VIII 259 'in tenebris incendia vana vomentem', i. V. p. cum attributo. IX 71 'incendia poscit ovantis'; de eadem re sequitur 72 'manum pinu flagranti .. implet'. 77 'quis deus .. tam saeva incendia Teucris Avertit', i. V. p. X 406 'immittit silvis incendia pastor', i. V. p. Aetn. semper in V. p. hisce locis: 366. 386. 397. 414. 460. 467. 556. 627. 638. Tibullus plur. bis i. V. p. II 4, 41 'quin tua tunc iuvenes spectent incendia laeti'; de eadem re sequitur v. 42 dativus 'flammae' [1]). II 5, 47 'lucent Rutulis incendia castris' [2]). Ovidius epist. XV 123 'referes incendia (sc. Troiae) tecum', i. V. p. Eodem sensu intellegendum est XV 123 'referes incendia tecum. Quanta per has nescis flamma petatur aquas', incendia i. e. Helena cuius causa Troia incendio deletur. XIX 119 'serventur vultus ad nostri incendia nati'; 'incendia' i. e. amor Cydippae, quo Acontius incensus erat. Sensu translato a. am. II 301, i. V. p. Rem. 117 'aut nova si possis sedare incendia temptes', de novo amore, cfr v. 119, i. V. p. Met. II 215 'incendia gentes In cinerem vertunt', i. V. p. XIV 539 'irrita sacrilega iactas incendia dextra', i. V. p. XV 350 'rapiunt incendia vires', i. V. p. XIII 718 'irrita subiectis fugere incendia pennis' attrib. i. V. subst. i. V. p. Fast. I 411 'hinc aliae satyris incendia mitia praebent', post pent. caes. et i. V. p. attrib. Vidisti ergo omnes poetas dactylicos hoc vocabulo pluraliter — praeter unum l. Vergilian. — Ae. IX 71 i. IV. p. — non nisi i. V. p. usos esse.

incepta [3]). Ennius hoc vocabulo usus non est. Singularem exhibent Terent., Lucret., Cic.; plur. inde a Sallustio (Cat. 17, 6). Pluralem p. s. Vergilius primus adhibet (Ae. IV 638 'sacra Iovi Stygio, quae rite incepta paravi). Ae. VII 259 'di nostra incepta secundent', i. V. p. XI 470 'concilium ipse pater et magna incepta Latinus Deserit', i. V. p. Contra singul. exstat ante cons.

1) Cfr. Dissen comment. p. 264.
2) Dissen comment. p. 285.
3) Bednara p. 544.

II 654 'inceptoque et sedibus'. Etiam gen. sing. invenitur. Ovidius am. III 2, 56 'inceptis‿adnue diva meis', ad elisionem evitand.; sed nulla cogente causa ante cons. ep. III 44 'venit inceptis mollior hora meis'. XVII 35 'obstitit inceptis tumidum iuvenalibus aequor'; apparet adiectivi causa plur. positum esse, cum 'iuvenalibus' ⏑⏑–⏑⏑ forma et ad metrum perbene quadret et ante voc. synaloeph. evitet; contra ante cons. 'incepto' a. am. I 716. Met. VII 145. VI 50.

iudicia[1]). Quae forma apud dactylicos non invenitur, quia ante unam consont. paean. prim. –⏑⏑⏑ praebet itaque singul. a poetis praefertur; pluralis non nisi ante duas consonantes adhiberi potest; contra dat. vel abl. plurativus poetis suppeditat ante vocalem quo elisionem evitent. Vergilius sing. nom. Ae. I 27 iūdĭcĭūm Paridis'; itemque Ovidius nom. vel acc. ante cons. exhibet ep. IV 40. Rem. 326. Art. I 98; ex Pont. I 7, 53. III 9, 11. Fast. I 19; contra ad elisiones evitandas ablat. vel dat. plur. hisce locis: am. II 2, 22 'iudiciis‿aegra'. Ep. III 104 'iudiciis ossa verenda meis'. A. a. II 416 'iudiciis‿ista venena meis'. Rem. 426 'iudiciis‿omnia' ex Pont. III 5, 52 'iudiciis‿illa sit hora meis'. IV 3, 16 'iudiciis unica Musa tuis'. 9, 69 iudiciis igitur ... Talibus Augusti': contra ante cons. abl. vel dat. sing. hisce locis epist. XVI 12. XVII 106. A. a. I246. Rem. 714. Trist. II 80. 98. IV 1, 92. 10, 40. V 3, 54. Pont. I 2, 142. II 4, 2. 14. Fast. III 488. VI 432; ante voc. fast. I 332 'veraque iudicio‿est'; contra pluralis etiam ante cons. Trist. V 14, 18 'iudiciis debes esse superba viri'.

iuga[2]). Poetae ante Vergilium non nisi proprio sensu. Plautus tantum sing. exhibet (Curc. 50) itemque ceteri poetae scaenici. Ennius in annal. vocabulo non utitur. In sc. 190 'quadrupedum iugo‿invitam' etiam sing., ubi pluralem exspectamus. Cato plur. semper cum numerali coniungit: agr. 62 'quot' iuga; 60 'singula'; 10, 2 'quinque'; 145, 1 sex iugis; itemque Lucil. 435 'iuga centum' et Varro r. r. pps inde a Vergilio ecl. V 76 'dum iuga montis aper, fluvios dum piscis amabit', si metri auctoritatem h. l. tantam non esse putas, cum poeta etiam sic verba collocare posset 'dum iuga‿aper montis' sive 'dum montis iuga‿aper', poetam pluralem praetulisse

1) Bednara p. 545.
2) Spitta 34. Bednara 545. Meyer, Die Schicksale d. lat. Neutr.

apparet euphoniae causa, ut syllabam '-um' saepius repetitam evitaret. Ge. III 57 bovis 'aut iuga detractans', i. I. p. Sensu translato, Ae. VIII 148 (gens Daunia) 'Hesperiam . . sua sub iuga mittant', i. V. p.; cfr. Hor. carm. II 6, 2 'Cantabrum indoctum iuga ferre nostra'. Proprio sensu plur. exstat ecl. IV, 41. Ge. III, 140. Ae. VI 804. VII 839. X 594. XI 544. Sing. ubi pluralem exspectamus Ae. III 542 'quadrupedes . . frena iugo concordia ferre'. Sed quomodo de plurali iudicandum est, qui ad unum tantum montem referendus est? praesertim cum poeta in hac re et sing. et plur. in usum vocat. Videas quaeso exempla: ecl. X 11 'Parnasi . . iuga'. Ae. I 498 'per iuga Cynthi'. Ge. III 292 'iuvat ire iugis qua' (sc. Parnasi). Ae. II 801 'iugis . . Idae'. III 336 'iugis hanc addit arcem', sc. Troiae. IV 147 'iugis Cynthi graditur'; hisce cum exemplis conferas Ae. VII 799 'Circaeumque iugum'. XI 905. Ecl. 9, 8. Ae. VIII 236. XI 514. Tibullus pps I 3, 41 'subiit iuga . . taurus'. 4, 16 'paulatim sub iuga colla dabit'; proprie plurativo sensu I 10, 46 'duxit . . sub iuga curva boves'. 'Iugis' ante cons. II 1, 7 proprie, itemque II 3, 44 (mille iugis). Abl. sing. P 170. Ovidius promiscue et sing. et plur. exhibet. pps am. III 11, 36 'iuga taurus amat', post pent. caes. A. a. I 318 'immeritam sub iuga curva trahi', de tauro a quo Pasiphae gravida facta erat. Epist. VI 97 'ut tauros ita te iuga ferre coegit'. Fast. I 703 'sub iuga bos veniat', i. I p. Sensu translato a. a. III 810 'duxerunt collo qui iuga nostra suo', post pent. caes. et i. V. p. Plur. proprio sensu saepius et cum numerali et sine num. (Fast. I 564 'quinque bis'. Met. XII 432 'bina'.) Sed etiam abl. vel dat. singularis, ubi pluralem exspectamus de compluribus bestiis velut met. XII 77. Fast. IV 403. V 497.

iussa[1]), ubi de uno tantum imperio agitur. pps inde a Vergilio. Ge. III 41 'tua Maecenas, haud mollia iussa', i. I. et V. p. Ae. I 77 fortasse generaliter 'mihi (Aeolo) iussa compescere fas est'; Iuno Aeolum ut Aeneae classem ventis deleret, rogaverat. 302 'et iam iussa facit', sc. Mercurius Carthaginiensibus nuntiat id quod Iuppiter eos iussit, nimirum Aeneam hospicio recipere. II 607 'parentis Iussa time neu praeceptis parere recusa', verba Veneris, quae Aeneam Troia fugere iubet. III 114 'divom . . iussa sequamur', i. V. p. IV 295 'imperio

1) Appel 24. 25.

laeti parent ac iussa facessunt', i. V. p., de eadem re et sing. 'imperio' et plur. 'iussa'. 378 'interpres divom fert horrida iussa per auras', i. V. p. Mercurius a Iove missus Aeneam Carthaginem relinquere iubet. Idem significat plur. 396 'iussa tamen divom exsequitur classemque revisit', i. I. p. — 503 'ergo iussa parat', Anna a Didone iussa erat Aeneam movere ut a consilio suo desisteret. (538 fortasse proprio sensu.) V 749 'nec iussa recusat Acestes', cfr. versus antecedentes. VI 176 'iussa Sibyllae', i. V. p., 'iussa' i. e. Misenum sepulchro condere, cfr. v. 177. IX 804 'Iuppiter Irim Demisit germanae haud mollia iussa ferentem', i. V. p., cfr. Ovid. a. a. II 196. X 445 'iuvenis .. iussa superba', cfr. versus antecedentes; i. V. p. XII 877 'iussa superba Iovis', cfr. v. 844, i. V. p. Iussis: ecl. VIII 11 'accipe iussis Carmina coepta tuis‿atque', ad synaloepham evitandam. Ae. VII 241 'iussisque ingentibus urguet Apollo', attributi causa, cum sing. 'īngēntĭ' ante vocal. exhiberi non possit. Ovidius Vergilium in hoc usu imitatus est. Epist. XIV 43 'violenti iussa parentis', i. V. p. Hypermnestra a patre maritum interficere iussa erat, eadem verba v. 53. Met. II 118 'iungere equos Titan imperat Horis Iussa deae .. peragunt'. II 678 'iussa Iovis', i. I. p. III 154 'iussa viri faciunt', cfr. de hac re v. 148—153. VII 14 'iussa patris .. dura videntur', attrib. i. V. p. XI 484 'hic iubet: impediunt adversae iussa procellae', i. V. p., cfr. v. 482/3. XV 641 'iussa dei', i. I. p., cfr. v. 637—640. Fast. I 379 'iussa facit pastor', cfr. 376/8. II 387 'iussa recusantes peragunt lacrimosa ministri', i. I. et V. p., cfr. 385 iussi erant Romulum et Remum exponere. 611 'iussa Iovis fiunt', i. I. p., i. e. Iuturna in Tartarum abducitur, cfr. 609/10. II 708 'agnosco iussa parentis' post pent. caes., cfr. versus antecedentes. III 860 'compulerunt regem iussa nefanda pati', i. V. p., i. e. Phrixum et Hellen ad mortem destinare, cfr. v. 858. IV 668 'caecaque iussa refert', cfr. 665/6. VI 690 post pent. caes.; pro certo dici non potest utrum pluralis poeticus an proprio sensu intellegendus sit. — Iussis: met. I 385 nulla cogente causa metrica plur. 'iussisque deae parere recusat', cfr. 381/3. — III 362 'ite citi — famulis hoc imperat — ite, ducemque Attrahite ... iussis mora segnis abesto', pluralis ad κακοφωνίαν litterarum o cumulatarum singulari posito — 'iusso mora .. abesto' — evitandam adhi-

bitus videtur esse. Fortasse pps XV 853 'fama .. nullisque obnoxia iussis‿Invitum'; nescio an inter hexametrum et pentametrum hiatum vitare voluerit poeta? Fast. IV 227 'fidem iussis dedit', plur. nulla cogente causa, cfr. 226. VI 383 'virgo ... iussis‿Adnuit', cfr. 377/82; plur. quia versus sequens a voc. incipit.

lacus. pps pro uno lacu inde a Vergilio[1]). Ae. III 386 'infernique lacus Aeaeaque' nulla cogente causa. Avernus intellegendus est itemque 442 'divinosque lacus‿et Averna sonantia' ad elisionem vel hiat. evitandum; cfr. VI 371. VI 134 'bis Stygios‿innare lacus', ante voc. ad elisionem evitandam. VIII 296 'te Stygii tenuere lacus' ante cons., pluralis verbi 'tĕnŭērĕ' causa extat. Tibullus I 10, 38 'errat ad obscuros pallida turba lacus', nulla cogente causa metrica, de Orci lacu. II 6, 39 'venit ad infernos sanguinolenta lacus'. L 1, 16 'Castaliamque ratem Pieriosque lacus'; metrum plur. non postulat, sed poeta eum euphoniae causa, ut 'm' litteram quatter repetitam evitaret, adhibuisse videtur. L 5, 24 'Letheamque ratem Cimmeriosque lacus', eadem de causa ac 1, 16; cfr. Dissen in comm. ad h. l. — Ovidius a. a. III 322 'Tartareosque lacus tergeminumque canem', plural. ad κακοφωνίαν evitandam, i. e. 'm' litteram quater repetitam. Met. V 405 'perque lacus sacros‿et' (sed proprie). VI 363 'ipsos‿etiam .. turbavere lacus‿imoque', ad elisionem evitandam. 374 'in gelidos resilire lacus', ante cons. nulla cog. causa; duobus hisce locis agitur de Lyciorum rusticorum lacu, de quo legis i. v. 369 'stagno' et 373 'ripam stagni'. Ex Pont. II 10, 25 'Hennaeosque lacus' ante voc. Fast. I 708 templa 'circa Iuturnae composuere lacus', nulla causa cogente. Iuturnae lacus in foro situs erat prope ad Castoris Pollucisque templum. Praeter nom. et acc. plur. etiam sing. acc. et abl. invenitur et abl. plur. 'lacubus'.

lana — lanae[2]) — ἔρια. Nom. sing. Verg. ecl. IV 42. ge. II 465. Hor. carm. III 5,28. Epist. II 1, 207. Lygd. III 18. Prop. III 11, 12. Ovid. a. a. III 170. 222. Ep. XII 128. XIV 66. Fast. II 742. III 876. IV 773. Nom. plur.: Hor. carm. II 16, 37.

---

1) Spitta 46. Braumueller I 12.
2) Maas 494. 504. 506. Neue [3] I 621. 622.

III 15, 13. Ovid. met. VII 541. Acc. sing.: Ovid. met. II 411. VI 19. Acc. plur.: Ovid. ep. I 78 ante cons. Ep. III 70 (a. cons.) A. a. II 220 a. voc. Met. IV 34 a. voc. VI 9 a. cons. XV 118 a. cons. Abl. sing. Verg. ge. II 120. Ovid. a. a. I 251. II 686. Ex Pont. III 8, 11. Abl. plur. fortasse Ovid. am. III 7, 79 'traiectis‿Aeaea .. lanis'.

laticés[1]). Pluralis inde a Lucretio IV 1093 'laticum frugumque cupido'. 1099 'sed laticum simulacra petit'. Vergilius utrumque numerum promiscue sibi concessit: acc. plur. ante voc. ad elisiones evitandas ge. III 509 'latices‿infundere . . . Lenaeos:‿ea'. VI 218[2]) 'calidos latices‿et'. 715 'securos latices et'. Ad syllabarum numerum augendum extat nom. plur. VII 464 ante cons.; eadem de causa fortasse extat sing. acc. I 686 'laticemque Lyaeum'. Nulla causa metrica cogente extat acc. plur. IV 454 et 512, gen. sing. ge. II 192 concinnitatis causa, gen. plur. Ae. I 736 'laticum libavit honorem', nulla causa cogente. Nom. sing. non occurrit. Propertius acc. plur. II 2[illegible], 47 nulla cog. causa ante cons. — Ovidius nom. plur. ex Pont. III 1, 17 propter antecedentem plur. 'fontes' et quia — praeter singularis nom. — formae ante cons. maxime ad versum heroicum quadrant ◡◡–. Acc. plur. met. III 601 'laticesque inferre recentes‿Admoneo'. IV 353 etiam ante voc. ad synaloepham evitandam. V 263 acc. pl. ante cons., itemque V 636 'in latices mutor'. VIII 275 fortasse concinnitatis causa. XIV 56 ante cons. nulla cogente causa; itemque trist. III 10, 29, ex Pont. I 10, 11 'nectar et ambrosium, latices‿epulasque deorum', ad elision. evitandam; itemque IV 10, 59 'copia tot laticum quas‿auget'. Acc. sing. met. III 171 et VII 327 et XIII 653. In oratione soluta huius vocis usus evitatur.

latratus[3]). Vergilius promiscue utitur et sing. et plurali: Ae. V 257, i. V. p. ante voc. nom. sing. 'saevitque canum latratus in auras'. Abl. sing. Ae. VI 417 'Cerberus .. latratu regna .. personat'. Contra abl. plur. XII 751 'canis et latratibus instat', et Cul. 220 'Cerberus .. diris flagrant latratibus ora'. Acc. plur. Cir. 82 'ipsa (Scylla) suos . . . pertimuit la-

1) Maas 480. 525.
2) Norden Comm. p. 191.
3) Neue [3] I 559.

tratus'. Ovidius eodem modo ac Vergilius vocabulum in usum vocat. abl. plur. Met. II 491 'canum latratibus', i. V. p. ante voc. Itemque III 231 'resonat latratibus aether' et VII 414 'latratibus auras', sed cum numerali 'ternis'. Etiam IV 451 acc. plur. cum numerali Cerberus 'tres latratus simul edidit', abl. plur. XIII 806, i. V. p. ante voc., abl. sing. Met. III 207. VII 362. XIII 406.

laurus — lauri[1]). Pluralis inde a Vergilio saepius. Lucretius bis dat. sing. I 739. V 112. Nom. sing. 'laurus' Verg. ge. 2, 18 'Pārnāsĭă laūrŭs'. 133 'laūrŭs ĕrāt', i. I. p., itemque Ae. VII 59 i. V. p., cum attributo Ae. II 513 'vĕtērrĭmā laūrŭs'. Tibullus II 5, 83 'laūrŭs ŭbi', i. I. p. Ovidius met. X 92 cum attrib., i. V. p. Tr. III 1, 45. Ex Pont. III 4, 90. Fast. I 344 'laūrŭs ădūstă sŏnō'. IV 742 'laurus adusta focis'. Nom. plural. 'lauri' Verg. ecl. III 63. 'lauri‿et'; itemque X 13. Ovid. a a. III 690 'ros maris et lauri nigraque myrtus' in pentam. caesura et inter duos singulares. Verg. ecl. II 54 'et vos, ō laūri, carpam'; cfr. voc. sing. 'laure' Ovid. met. I 559 'te nostrae, laūrĕ, phăretrae'. Nom. plur. 'laurus' Verg. Ae. III 91. Ovid. am. II 12, 1. Met. XV 634. Fast. IV 953 'state Palatinae laurus'. Acc. sing. 'laurum' Ovid. a. a. II 401. Met. VI 201. Acc. plur. 'lauros' saepius. Verg. ecl. VI 83 'lauros‿Ille'. VIII 13 'victrices‿hederam . . lauros'. 82 'fragilis‿incende . . lauros' (sive 'laurus'). Ae. III 360 'Clarii lauros' (sive 'laurus') ante cons. Tibullus I 7, 7 'victrices lauros' ante cons. II 5, 117 'ipse gerens lauros: lauro' . . . Ovidius am. II 13, 18 ante cons. Acc. plur. 'laurus' Catullus 64, 289, ante cons. attrib.; subst. in versus fine, ergo pluralis nulla cogente causa. Tibullus II 5, 63 'sacras‿innoxia laurus', ad elisionem evitandam. Vidisti ergo poetas et singulari et plurali promiscue uti, pluralis accusativum exhibere nonnumquam ad elisionem evitandam; sed etiam ante cons. nulla cogente causa. Dativus vel ablativus pluralis non adhibitus est optimorum et scriptorum et poetarum temporibus — Plinius demum exempla praebet — qua in re teste usus sum Servio qui in comm. ad Verg. Ae. X 689 dicit: propter asperitatem non utimur 'laurui lauribus'. Dativus vel abl. 'lauro' saepius occurrit.

1) Neue I 767. 768.

ligna[1]) (ξύλα Hom.). Plaut. pluralem et sine et cum numerali exhibet. Catullus 36, 8 attrib. causa ante voc. Vergilius tantum singularem usurpavit: ge. I 144. II 442. Ae. XII 767 in fine versus. Abl. vel dat. sing. ge. II 31, 118 (in fine versus). Ae. II 45. IX 413. 544. Tibullus II 1, 22 'ingeret ardenti grandia ligna foco'. Ovidius am. I 6, 74 'duraque conservae ligna valete fores'. I 12,7/8 'ite hinc, difficiles, funebria ligna, tabellae', i. V. p.; cfr. de eadem tabella v. 13 'inutile lignum', i. V. p, quia attributi pluralis 'inūtĭlĭă, ad metrum non quadrat. Medic. 16 'dabat virgas caecaque ligna foco'. Art. III 232 i. V. p. Pluralis etiam fast. II 647. IV 510 'portat .. arida ligna focis'. Sed etiam praeter am. I 12, 13 eodem sensu singularis exstat ex Pont. I 2, 35 de epistula, cfr. Hor. serm. I 8, 1. Alio sensu sing. nom. vel acc. a. a. II 401. Met. VI 201. VIII 479. XV 311. XII 371 in versus fine.

lilia[2]). Sing. 'lilium' Caes. b. G. VII 73, 8. Varro r. r. I 35, 1. Pluralis a scriptoribus in usum non vocatur. Vergilius pluralem in poetarum sermonem introduxit. Ecl. II 45 i. V. p. X 25 'grandia lilia quassans'. Ge. IV 131 inter compl. sing. 'albaque circum Lilia', attrib. i. V., subst. i. I. p. Ae. VI 709 'candida circum Lilia'. 883 i. V. p. XII 68 i. V. p. Cul. 403 lilia i. I. p. inter complures singulares; itemque Cop. 16 et Cir. 97. Lygdam. 4, 34 'alba .. Lilia', attrib. i. V., subst. i. I. p. Prop. I 20, 37 i. V. p. II 3, 10 'lilia ... alba', i. I. et V. p. III 13, 30 'lilia ... lucida', i. I. p. subst., post pent. caes. attr. IV 4, 25 'tulit ... argentea lilia Nymphis', i. V. p. Ovidius am. II 4, 37 i. V. p. Art. II 115 i. V. p. Met. IV 355 i. V. p., itemque V 392. X 191 i. I. p., 212 i. V. p., 262 i. I. p. XII 411 i. V. p. Fast. II 707 attrib. i. V. p. et 708 attrib. post pent. caes. itemque IV 442. V 317 i. I. p.

limina[3]). Plautus semper sing. pps primum Lucilius 1107 i. V. p. 'ante triclini limina'. Varro r. r. III 7, 2 'intra limina ianuae'. Lucretius eodem sensu et sing. et plur. usur-

1) Appel 14. 61. Bednara 545.
2) Appel 39. 61. Maas 506. 508. Bednara 545.
3) Appel 22. Braumueller I 11. 20. Overholthaus 5. Slotty 18. 19. Bednara 558.

pavit. II 960 'leti iam limine ab ipso', et VI 1157 'leti iam limine in ipso'. VI 1208 'limina leti', i. V. p. III 1065 'tetigit .. limina villae', i. V. p. V 485 'extrema ad limina in antrum'. Catullus itemque sine ullo discrimine sing. et plur. exhibet: 64, 271 'limina Solis', i. V. p. 63, 65. 65, 17 'thalami .. limina', i. V. p.; contra abl. sing. post pent. caes. 67, 38 'limine abesse licet'. 68, 71 i. V. p. Quorum poetarum exempla secutus etiam Vergilius sing. et plur. promiscue in usum vocat prout metrum aut sing. aut plur. postulat. Ge. IV 358 'limina divom'[1]), i. V. p. Ae. I 389 'reginae ad limina perfer', i. V. p. 448 (de templo quodam) 'limina' i. V. p. 707 'limina laeta frequentes', de Didonis domo, i. V. p. II 321 'ad limina tendit', i. V. p. cfr. 469 'limine', i. V. p., de eadem re 480 'dura bipenni Limina', attrib. i. V., subst. i. I. p.; sequitur 485 abl. sing. i. V. p. et 500. 508 'limina' i. V. p. 567 i. V. p. 'limina Vestae'. 634 'patriae ... ad limina sedis', i. V. p., eodem sensu antecedit 620 'patrio te limine sistam', et 673 sequitur abl. sing. i. V. p. de Aeneae domo agitur. 752 'obscuraque limina portae', i. V. p. (proprio sensu 802). III 91 'liminaque laurusque dei', i. I. p. 155 'tua ... ad limina mittit', i. V. p.; itemque 347. 351 'Scaeaeque .. limina portae'. 371 'ad tua l. Phoebe'. 616 'crudelia l. lincunt', de Cyclopis antro, itemque 626 i. I. p. IV 133 'thalamo .. limina', i. V. p. 645 'interiora domus .. limina et altos', attributi causa. VI 115 'tua limina adirem', cfr. 151 'nostroque in limine pendes', duobus locis i. V. p. 255 (cfr. p. 20), 525 i. V. p. et 575; cfr. 636 eodem sensu 'limine', i. V. p. 696 'limina' i. IV. p. VII 221 'tua nos ad l. misit'. 491 'ad limina nota .. domum .. se ferebat', i. V. p. VII 613 'reserat stridentia limina consul', sc. Iani templi, de quo antecedit 610 item i. V. p. abl. sing. VIII 145 i. V. p. 232 'ter saxea temptat Limina', attrib. i. V., subst. i. I. p. 362 i. V. p.; item IX 648; X 117. 620; XI 29. 235. 267. Cir. 98 'sparsaque liminibus floret rosa'. Vergilius praeter abl. sing. et nom. plur. vel acc. etiam nom. vel acc. sing. frequentat, quae forma imprimis ante vocalem poetae suppeditat, velut Ae. II 453 'limen erat', i. I. p. Tibullus I 2, 17 sensu plurativo. pps II 6, 13 de amatae domo 'limina' i. V. p.; abl. sing. semper i. V. p. I 5, 71. II 6, 47 L 3, 3. Acc. sing. semel i. I. p. ante voc. II 1, 74. Dat. plur. I 2, 84 'dare sacratis os-

1) Cfr. Ae. II 366 'religiosa deorum Limina'.

cula liminibus'. Propertius I 5, 13 'a mea .. limina', i. I. p. attr., i. V. subst. I 16, 3 'ianua .. cuius .. celebrarunt limina currus', i. V. p., eodem versus loco II 7, 19 'transieram tua limina clausa maritus' et IV 4, 2 'limina capta Iovis', de Capitolio. 8, 84 p. pent. caes. 9, 27 attr. i. I., subst. i. V. p. 54 p. pent. caes. Ovidius am. I 6, 64 'puellae Limina', i. I. p. 68 attrib. i. I., subst. p. pent. caes.; cfr. 73 eodem sensu 'limine', i. V. p. II 18, 39 'tua limina' sc. puellae, i. V. p. Ep. XII 150 'limina prima foris' post pent. caes. et attr. i. V. p. XIX 129 'limina', i. V. p., sc. puellae amatae domus; cfr. de eadem re 174 'limen adire vetes'. A. a. III 72 'sparsa ... limina', sc. tuae domus attrib. i. I. p., subst. p. pent. caes. Rem. 786 'dominae transire .. Limina', i. I. p. Met. VII 298 'Peliae .. limina', i. V. p. et 331 'limina natae'. 744 attrib. i. I., subst. i. V. p. XIV 456 'Euandri ad limina', i. V. p. 702 'supplex ad limina venit'; cfr. 709 eodem sensu 'limine duro', i. V. p. 742 'limina matris', i. V. p. Trist. V 11, 25 'caeli tibi limina claudant'. Fast. I 137 'sedens ... prope limina tecti', i. V. p. III 358 'limina regis', post pent. caes. VI 156 eodem versus loco.

liquor—liquores. Sing. iam Plaut. Vergilius ge. III 484 'fluvidus liquor' ante voc. Moret. 38 'gelidos‿adolere liquores', ad elisionem evitandam. Tibullus pluralem et singularem in usum vocat, nom. sing. ante cons. I 7, 37 in versus fine. II 3, 14c., acc. sing. I 6, 19 in versus fine. Abl. sing. Lygd. II 16 'ante lĭquōrĕ mănūs'. Acc. plur. II 1, 45 'pressos pedibus dedit uva liquores', nulla causa cogente. P 86 ad elisionem evitandam; attributi causa: 'dulces‿erumpat ... liquores'. Propertius eadem ratione utitur: nom. plur. I 14, 11 'Pactoli veniunt .. liquores‿Et'. Acc. plur. II 15, 33 'revocare liquores‿Arida' quia versus sequens a vocali incipit; contra abl. sing. I 20, 47. Ovidius: nom. sing. Ib. 592 'Stygius .. liquor' in versus fine. Ex Pont. I 8, 38 'Virgineusque liquor'. Contra nom. plur. met. XV 318 'animos .. valeant mutare liquores'. Acc. plur. met. I 371 'libatos‿inroravere liquores', ad elisionem evitand. VI 347 'gelidos potura liquores', nulla cogente causa metrica. Exempla demonstrant singularem et pluralem promiscue adhiberi a poetis.

litora[1]) — ἀκταί[2]). pps iam Ennius a. 389 'litora

1) Spitta 29—32. Braumueller I 12. Overholthaus 5. Slotty 16/17. 40. 41. 45. 49. Bednara 558.

2) Witte 32. 74. 257.

lata sonunt'. 610. sc. 68. Etiam 'litus' i. V. hexametri p. ante voc. Catullus 64, 121 'spumosa ad litora Diae', i. V. p. 172 'Gnosia .. litora', attrib. i. I. p., subst. i. V. p.; cfr. 64, 52 'litore Diae', i. V. p.; itemque 132 et 65, 7. De eadem re ergo singularis et pluralis promiscue adhibentur; eadem ratione omnes poetae posteriores usi sunt, prout metrum postulat formam plur. aut sing. Etiam abl. et dat. plur. apud Catullum duobus locis in versus fine, quae clausula a Catullo libenter in pentametri fine profertur — cfr. 64, 300 'cultricem montibus' —, posterioris autem temporis poetae elegiaci eam evitaverunt [1]). Vergilius ecl. IX 43 i. V. p. Ge. I 334. 359 duobus locis i. V. p., generaliter pl. intellegendus est, sed eodem sensu 398 abl. sing. i. V. p. III 200 i. V. p. 'litora'. Ae. I 3 'Laviniaque venit Litora', i. V. et I. p. 157 'proxima l. cursu', i. V. p.; cfr. 173 et 184 eodem sensu 'litore' i. V. p. 528 de Africae litore i. IV. p. 'litora', cfr. 517 abl. sing. i. V. p. De eodem litore 575 et 633 pluralis i. V. p. De Troiae litore II 205 'litora' i. V. p. et 399 'litora cursu Fida petunt'. De eodem litore 557 abl. sing. i. V. p. itemque de Asiae litore III 10 'litora .. patriae', i. l. p. 71 'litora complent', i. V. p. de eodem litore antecedit abl. sing. i. V. p. v. 16 et 21. 122 'litora Cretae', i. V. p.; eodem sensu 135 i. V. p. 'litore' et 161 'litora' i. V. p. 209 'Strophadum ... litora', i. V. p.; eodem sensu 223 'litore curvo', i. V. p. et plur. 239 'per curva dedere Litora'; eodem sensu abl. sing. i. V. p. 266 et 277—280 'Actiaque ... litora', attrib. i. I., subst. i. V. p. 292 'litoraque Epiri', i. I. p. et 300 i. V. p. et 532 i. V. p.; antecedit 510 de eodem Epiri litore abl. sing. i. V. p., idem sequitur 536 eodem versus loco. 556 de Siciliae litore i. V. p. 'litora', itemque 592 et 598, de quo 639 abl. sing. i. V. p. extat. Deinde 643 'litora', de Sicilia i. V. p. item 651, 657, 676. V 289 'litora', sc. Africae, potius Carthaginis, i. V. p.; de eodem 373, 397, 416 abl. sing. i. V. p., antecedit 409 i. V. p. 'litora', etiam 565 plur. i. V. p. et 582 i. I. p., itemque 588 et 657 'litora .. nostra', et substantivum et attributum i. V. p. De Siciliae litore V 23 'nec litora longe Fida', subst. i. V. p., attrib. i. I. p.; de eodem 43 abl. sing. i. V. p.; sequitur eodem sensu 'litora' i. V.

1) Cfr. Hultgren, obss. metricae I, Lipsiae 1870, p. 30. Hau, de casuum usu Ovid., Monasterii 1884, p. 56/57.

p. 107. 125 'spumantia contra Litora', attrib. i. V., subst. i. I. p., idem 150 'inclusa volutant Litora'. 177 'litora' i. V. p. semper de Siciliae litore; itemque 236 i. V. p. abl. sing. et 611, 676, 765 i. V. p. 'litora'. VI 4[1]) 'litora' sc. Italiae i. V. p.; de eodem v. 6 'litus in Hesperium', i. I. p. ante voc.; de eodem 329 'haec litora circum', i. V. p. et 362 'litore' i. V. p. VII 10 'proxima Circaeae . . litora terrae', i. I. et V. p.[2]). 22 de eodem l. 'litora dira subirent', de Italiae litore 124 'ignota ad l. vectum', i.V. p. cum attrib.; itemque 149 'litora gentis', de eodem 158 'litore' i. V. p. et 198 'litus ad Ausonium', i. I. p. ante voc. 229 'litusque rogamus Innocuum et', 215 'litusve fefellit', sed 705 i. V. p. pluralis. Itemque de Italiae litore 764 'umentia circum Litora', attrib. i. V. et subst. i. I. p. VIII 555 'ad litora regis', cfr. 497 i. V. p. abl. sing., et IX 121 'steterant ad litora prorae' i. V. p., cfr. 309 'in litore sistit' et 317 'arrectos litore currus'. X 223 verba quae IX 121 huc X 223 trahenda sunt. X 268 'versas ad litora puppis', de eodem litore 277 'fiducia cessit Litora', attrib. i. V. p., subst. i. I. p.; item 290 'litora'. Eodem sensu accipiendus est abl. sing. qui 309 i. V. p. extat. — pps 574 'rapiuntque ad litora currus' et 683 'litora' i. V. p. semper de eadem re. XI 183 abl. sing. i. V. p. 'curvo in litore' et 261 acc. sing. i. V. p. ante voc. et XII 263 'litora vestra' (V). Itemque plur. 366 i. V. p. et 455. Gen. sing. 'litoris' ge. II 44 i. V. p. ante voc. 'litoris oram', eadem verba Ae. III 396. Dat. plur. 'litoribus' Ae. IV 628 'litora litoribus contraria' et VII 1 pps 'litoribus nostris‿Aeneia nutrix . . . famam dedisti'. Tibullus I 7, 10 (nom.) 'Oceani litora Santonici', i. V. p. P 69 'Sirenum litora' acc. i. V. p. Abl. sing. i. V. p. III 8, 19 Lygd. 3, 17. Propertius nom. pl. de Baiarum litore I 11, 28 i. V. p. et 29 'litora . . . castis inimica puellis', i. I. p. et V. p. Eodem sensu antecedit 14 abl. sing. i. V. p. I 20, 22 'mollia . . litora', attr. i. I. p. et subst. post pent. caes. II 1, 30 'litora' p. pent. caes.; eodem v. loco II 14, 4 'litora Dulichiae'. II 34, 61 'Actia . . litora Phoebi', i. I. p. attr., i. V. p. subst. III 19, 7 'bona litora nautis Praebeat . . saeva Malea', i. V. p. III 21, 23 'Piraei capient me litora portus', i. V. p. IV 6, 15 'Phoebi . . Athamana ad litora portus', i. V. p.; abl. plur. I 2, 18 'pa-

1) Cfr. Norden, Comment. ad Verg. p. 114.
2) Cfr. Ladewig et Schaper, in edit. Vergil. ad h. l.

triis filia litoribus', idem casus eodem versus loco I 3, 2 'desertis Gnosia litoribus', itemque I 11, 2 de Baiarum litore 'Herculeis semita litoribus', sequitur i. v. 14 abl. sing. II 34, 64 'iactaque Lavinis moenia litoribus'. Ovidius am. II 11, 39 'litora' i. V. p.; cfr. 43 eodem sensu abl. sing. i. V. p. Epist. I 59 acc. plur. i. V. p. de Ithacae litore. II 121 de Thraciae litore 'fruticosaque litora', i. V. p. et 122 'litora lata' post pent. caes. VI 1 'litora Thessaliae', i. I. p. X 17 de Diae insulae litore 'litora' i. V. p., in versu sequenti 'litus' i. V. p. ante voc. et i. v. 3 'litore' i. V. p., itemque v. 21. Ep. XVII 21 'tua litora' i. V. p., sc. litus Abydi; itemque 68 post pent. caesur. et 91 'propioraque litora fiunt', et 116 attr. i. I., subst. post pent. caes., idem 206 et XVIII 121. A. a. I 255 'praetextaque litora Bais'. Met. I 96 'nullaque mortales praeter sua litora norant'. II 842 'armentum .. ad litora verte', de eodem litore 844 'litora iussa petunt', i. I. p. et 873 acc. sing.; de uno litore etiam IV 735 acc. pl. i. I. p. VI 446 'Piraeaque litora tangit'. XI 208 'litora Troiae' eodem sensu XII 66 'litusque tuentur Troës'. XII 71 'Sigea rubebant Litora', i. V. p. et i. I. p.; etiam 196 pps 'secretaque litora carpens', i. V. p. XIII 4 'Sigeïa .. Litora', attr. i. V., subst. i. I. p.; de eodem litore eodem in versu i. V. p. abl. sing. — XIII 924 'confinia litora', i. V. p. XIV 104 'litora Cumarum', i. I. p. 247 'litora Circes', i. V. p., sed 248 'Circaeo .. in litore', i. V. p. 416 'Tartessia litora', i. V. p. XV 13 'litora ... Lacinia', i. I. et V. p. 643 'Epidauria litora', i. V. p. 702 'Scylaeaque litora', i. V. p. Trist. I 2, 83. I 5, 36 'fera litora Ponti'. I 10, 31 'Byzantia litora', i. V. p. I 10, 14 'Getici litoris intret'. 19 'Zerynthia litora', i. V. p. III 11, 7 'inhospita litora Ponti'. III 12, 32 'in Ponti litore', p. pent. caes., cfr. 11, 7; de eadem re 38 'litora rarus in haec', i. I. p. IV 1, 45 'litora Ponti', i. V. p., cfr. 55 'litus' i. V. p. ante voc. 60 'Euxini litora laeva peto'. IV 4, 55 'Euxini litora Ponti', i. V. p. V 2, 63 'Euxini deformia litora', i. V. p. Ex Pont. II 9, 67 'Ponti litora', i. V. p. III 2, 8 de eodem litore 'litora nostra'. Fast. I 519 'haec litora', i. V. p., item IV 279 'Sigeaque litora'. In abl. semper fere sing. i. V. p., sed etiam abl. pluratívus obvius est velut epist. II 4 'litoribus nostris', i. I. p. Fast. III 875 'litoribus tactis', eadem verba V 615. 'litus' saepius i. V. p. ante voc. ut trist. V 4, 48. V 6, 43. Ep. X 18. Etiam in fine versus ut Ep. VII 69. Trist. V 10, 13; nonnunquam sing.

et attributi causa extat ut epist. XVII 50 Īcărĭūm. Met. XIV 77 Ausŏnĭūm. Fast. V 656 Īnăchĭūm, plurali enim παιὼν πρῶτος efficitur –⏑⏑⏑ qui ad versum heroicum minime quadrat. Sing. genetivus quoque invenitur, qui non nisi ante voc. versui immitti potest, velut trist. I 10, 14 'litoris intret', post pent. caes.

lolium — lolia. Plautus usus est singulari: Mil. Gl. 321 mírumst lolio víctitare té tam vili trítico. Ennius singul. exhibet var. 31 'ubi videt avenam lolium crescere inter triticum'. Etiam Vergilius singularem tantum in usum vocat: ecl. V 37 'infelix lolium et steriles ... avenae', eadem verba coniunguntur ge. I 154. Ovidius met. V 485 'lolium'. Plur. abl. Fast. I 691 'careant loliis‿oculos vitiantibus agri' et ad hiatum evitandum et attributi syllabas augendas.

lumina[1]). Ennius primus pps exhibet A. 149 'lumina sis oculis', plurativo sensu 156 et 323 in V. hexametri pede. Gen. sing. ante voc. i. V. p. A. 114 'luminis oras', eadem verba 131. Saepius 'lumen' velut A. 35. 102. 438. sc. 19. 326. 399 et abl. sing. sc. 285. 264. Ennium secutus Lucretius prout metri ratio postulat utrumque numerum sibi permisit. I 5 'lumina solis', i. V. p. Sequitur 9 eodem versus loco 'nitet diffuso lumine caelum', cfr. 144 'quo carmine ... clara tuae possim praepandere lumina menti', attrib. i. I., subst. i. V. p. 227 i. V. p. 'lumina vitae', eadem verba i. V. p. III, 849. III 1025 quae verba ad Ennii v. 149 spectant 'lumina sis oculis etiam bonus Ancus reliquit', i. I. p. IV 375 i. V. p. 'radiorum lumina', sequitur 377 i. V. p. Abl. sing. eodem sensu. VI 184 'oculorum ad lumina nostra', i. V. p. II 108 'splendida lumina solis', i. V. p. 114 i. V. p. 'solis lumina', sequitur 140 'solis .. lumine' (IV) et 117 i. V. p. 'lumine'. 144 'aurora ... spargit lumine terras', i. V. p. 210 'sol .. lumine conserit arva', contra plur. 654 'in lumina solis', i. V. p. et 741 'Solis .. lumina', i. V. p.; eadem verba eodem versus loco IV 208. V 662. 657. 976 ('sol .. lumina'). IV 162 'lumina sol' i. I. p.; contra de solis lumine abl. sing. IV 371 'lumine .. solis', i. I. p. V 664 i. V. p. 693 i. V. p. ('sol ... lumine'). 981 'lumine solis'. VI 209 'solis de lumine', i. V. p. 1197 'lumine solis', i. V. p. V 989 'lumina vitae', i. V. p.; eodem sensu III 1042 i. V. p. 'lumine vitae'.

---

1) Keller 210. Appel 22. Braumueller I 12. Slotty 31. 32. 40. 49.

Etiam abl. plur. apud Lucretium legitur VI 284 de fulmine: 'coruscis‿Omnia luminibus lustrans', fortasse ad hiatum evitand. V 770 de luna 'loca luminibus propriis‿inimica per exit'; eodem sensu 778 abl. sing. i. V. p. Etiam Ennii A 114 imitatus Lucretius gen. sing. ante voc. usurpavit i. V. p.: V 781 'luminis oras'. Vergilius ge. II 432 'ignes nocturni ... lumina fundunt', i. V. p. Ae. VI 255 'lumina solis', cfr. 'limina' p. 19. 20. VI 828 Ennium imitatus 'lumina vitae'; i. V. p., cfr. XII 935 eodem sensu abl. sing. i. V. p. VII 13 'urit nocturna in lumina caedrum', i. V. p.; cfr. 9. Abl. sing. i. V. p. 771 'ad lumina surgere vitae'. VIII 69 'orientia solis Lumina', attrib. i. V. p.; subst. i. I. p. 411 'famulasque ad lumina longo Exercet penso', i. V. p.; cfr. 391 abl. sing. i. V. p. IX 459 'spargebat lumine terras ... Aurora', i. V. p. XII 113 'spargebat lumine montis Orta dies'. XII 63 'haec invisa relinquam Lumina', attrib. i. V., subst. i. I. p., de vitae lumine. Ennium etiam in hac verborum coniunctione Vergilius imitatus est: Ge. II 47 'luminis oras', et Ae. VII 660 'sub luminis ... oras', praeterea gen. sing. qui ante voc., perbene ad hexametri condiciones quadrat, etiam extat ge. I 291 i. V. p. et Ae. III 663 i. I. p. Saepius quoque 'lumen' adhibetur; quorum exemplorum e numero haec profero ubi forma illa occurrit ante voc.: Ae. II 683. III 658 de Polyphemi oculo 'lumen ademptum', i. V. p., eodem versus loco VI 363. VIII 22. De oculis persaepe legitur plur. velut ge. III 433 i. V. p. IV 414. 496. Ae. I 126. II 405. 406. IV 185. 244. V 847. 856. VI 156. 300. 862. VII 449. X 418. 447. 463. 746. XI 819. XII 173. 310. Sed etiam de duobus oculis ubi videlicet exspectamus pluralem, obvius fit singularis: ablativus i. V. p. sicut XII 220 'demisso lumine Turnus' et VIII 153 'lustrabat lumine corpus'. Forma 'luminibus' (abl. plur.) Ae. II 173. IV 364. Tibullus I 2, 36 'fulgenti lumina ferte face', post pent. caes.; cfr. 33 'parcite luminibus'. De Polyphemi oculo extat pluralis P 57 attrib. i. I. p., subst. i. V. p., cfr. supra Verg. Ae. III 658. Ceteris locis plur. 'lumina' proprio sensu plurativo legitur de oculis I 1, 66. I 8, 68. I 9, 42. L IV 22. De Solis lumine extat abl. sing. i. V. p. II 5, 75. 'lumen' i. I. p. ante voc. III 19, 12. Propertius I 3, 32 'luna moraturis sedula luminibus'. Ovidius ep. XII 191 'per avitae lumina flammae', i. V. p. XV 207 de Sole 'clara fugantur Lumina', attrib. i. V., subst. i. I. p. Met. I 10 'praebebat

lumina Titan', i. V. p. 135 'lumina solis', i. IV. p. 767 'lumina solis', i. V. p. II 110 'clara repercusso reddebant lumina Phoebo'. 149 de Sole 'dare lumina terris', i. V. p. 388 de Solis curru: 'portantes lumina currus', i. V. p. IV 238 'ad lumina Solis', i. IV. p. X 293 'timidumque ad lumina lumen Attollens'; 'lumina' de Sole sunt intellegenda, 'lumen' spectat ad oculos. Met. VII 835 'Aurorae lumina', i. V. p. XIV 175 'lumen vitale'. Trist. V 9, 37 eadem verba; cfr. Ennii 'lumina vitae'; 424 'redeunt solis Lumina' i. I. p. XV 786 'solis . . imago . . Lurida . . praebebat lumina terris', i. V. p. Trist. II 325 'lumina solis', i. V. p. Ib. 32 'iunctaque cum luna lumina solis erunt', attrib. i. I. p., subst. p. pent. caes.; fortasse ex Pont. I 1, 57. Fast. I 438 'lunae lumina', i. V. p.; fortasse etiam 792 'tota lumina nulla domo'. De oculis plerumque plural. sensu translato; sed etiam sing. exhibetur, prout metrum aut plur. aut sing. postulat; velut ep. XX 199 'tecto simulatur lumine somnum'. Met. III 335 'damnavit lumina nocte'; eodem sensu sequitur 337 ablativus singularis i. V. p. Saepius occurrit singularis ubi exspectamus alterum numerum, cum de oculis agatur; exempli causa videas quaeso ep. XVII 74 'caecum . . . lumen habes', i. V. p. ante voc. et Met. II 470 abl. sing. i. V. p., itemque IX 21; cfr. supra 'lumina' met. X 293; etiam forma 'luminibus' obvia est met. I 625 cum numerali 'centum'. Ib. 542. Met. V 248. Trist. II 513. Et gen. sing. perbene versui heroico ante voc. immitti potest; cfr. Met. I 740. X 691. XIV 200. Ib. 260. 624.

lymphae [1]), in oratione soluta haec vox non invenitur. Poetae et sing. et plur. promiscue adhibent; plur. iam Pacuvius 244 'lymphis flavis. Lucret. 'lȳmphārūm' sibi concessit I 496. VI 1178 'lymphīs pŭtĕālĭbŭs āltē', attributi causa; pŭtĕāli' incommodum est. Catullus [2]) 27, 5 'lymphae'. 64, 162 'liquidis vestigia lymphis'. Vergilius hoc vocabulum non usurpavit, Tibullus autem et singularem et pluralem profert: nom. sing. I 7, 12 i. V. p. a. cons., eodem versus loco II 1, 46. Lygd. VI 58. P 140. Gen. sing. L. 5, 29. Dat. plur. nulla cogente causa 'sacris‿Baiarum proxima lymphis'. Propertius abl. plur. III 3, 51 'lymphisque a fonte petitis Ora . . . rigavit aqua'. IV 6, 7 nulla cogente causa ante cons. 9, 35 'lymphis‿Et',

1) Maas 480. 525 n.

2) Slotty 9. 10.

poeta fortasse voluit vitare hiatum inter hexametrum et pentametrum. Ovidius met. III 451 dat. plur. ad versuum synaphiam evitandam 'liquidis . . . lymphis, Hic', eadem de causa abl. plur. XIII 531 'vulnera lymphis‿Abluere', ubi sing. hiatum efficit. Abl. plur. etiam II 459 'superfusis tingamus corpora lymphis'; contra abl. sing. III 173. Med. 99; gen. sing. Met. IV 297; nom. plur. epist. V 31 'versaeque recurrite lymphae'; facile causam metricam cognoscis. Contra nom. sing. Met. XV 308 i. V. p.

mândata. Vergilius pps primum de uno mandato Ae. IV 270 'ipse haec ferre iubet celeris mandata per auras'; Mercurius hisce verbis imperium Aeneae refert Iovis qui eum Carthaginem relinquere atque in Italia novam urbem condere iubet. Eodem modo intellegenda sunt verba quae exstant 357 'celeris mandata per auras Detulit' sc. Mercurius; itemque, ut supra plur. i. V. p. legitur. VI 116 Aeneas alloquitur Sibyllam 'ut te supplex peterem et tua limina adirem Idem orans mandata dabat'; de uno tantum mandato agi elucet e v. 115. VII 267 'regi (sc. Aeneae) mea nunc mandata referte' i. V. p.; verbis sequentibus Latinus Aeneae se filiam in matrimonium daturum esse legatis mandat ut nuntient; de uno ergo mandato agitur. Cum numerali proprio sensu ponitur pluralis IX 312 'multa . . mandata'. — X 840 'ferant mandata parentis', i. V. p., sc. Mezentii qui nuntiis imperaverat ut Lausum filium e pugna revocarent. XI 176 'haec memores regi mandata referte', i. V. p.; cfr. v. 177—181, Euandri verba. Ovidius epist. XI 127 'mandata sororis Perfer! mandatum persequar ipsa patris'. Verba Canacae quae Macareum fratrem amatum ossa pueri expositi colligere iubet; cfr. v. 121—123 i. V. p. XIII 143 'mandata reverti' i. V. p., eodem sensu 145 'mandata recentia' p. pent. caes., attrib. i. V. p. XV 302 'mandata mariti', Menelaus mandaverat ut Helena uxor 'curam hospitis ageret', cfr. v. 304. Met. VI 449 'mandata referre Coniugis', i. e. Progne Tereo mandaverat ut Philomelam sororem adportaret, cfr. v. 440—444. — 505 'mandata', i. V. p.; cfr. 496—503. VII 493 'patriae . . . mandata ferebat', et 502 'mandata', i. V. p., de rogando auxilio agitur. Eodem sensu legis 505 'mandatam iuvit facundia causam'. VIII 810 'refert mandata deae'. IX 681 et 697 'mandataque falle mariti'; Iphidi gravidae maritus puellam si pareret interfecturum

esse minitaverat. XI 629 'imperat hoc Iuno. postquam mandata peregit', i. V. p.; cfr. v. 626—628. Fortasse etiam XIV 460 i. V. p. XIV 602 'Veneris mandata', i. V. p., cfr. v. 599—600. XIV 831 'sua sic mandata referre', i. V. p., cfr. 832—837. Trist. I 1, 35 'ut pergas mandata'; haec verba quamquam imprimis referenda sunt ad v. 34 'sedibus in patriis det mihi posse mori', tamen etiam ad antecedentia spectare possunt. Pro certo ergo pluralis hoc loco poeticus dici non potest. Fast. II 705 'Tarquinius mandata latentia nati Accipit'; cfr. 'iussa' 708 eodem sensu. III 687 'mandata peregimus', cfr. 688. Abl. plur. ubi de uno mandato agitur ante voc. ad hiatum evitandum: ep. III 127 verba Briseidos quae rogat ut ad Achillis iram leniendam mittatur 'multaque mandatis oscula .. feram'. Gen. sing. fast. IV 193. Gen. plur. non invenitur apud poetas.

marathrum — *μάραθρον*. Ovidius acc. plur. 'marathros' adhibet med. 91. Gen. sing. 92 'quinque ... marathri scripula'.

marmora[1]). Propria significatione pluralem Ovidius primum sibi concessit: Met. VI 312 'lacrimas etiam nunc marmora manant', i. V. p. Niobe intellegenda est. VII 790 'duo marmora' i. V. p. XV 314 'tactis inducit marmora rebus' i. V. p., etiam nom. sing. ut met. V 214 'proxima tangit Corpora: marmor erant'; et gen. sing. aut voc. post pent. caes., abl. sing. persaepe imprimis i. V. p. velut met. III 419. XIV 314. A. a. I 70. III 125. Med. 8 et saepius. Vergilius sensu proprio exhibet abl. sing. i. V. p. ecl. VII 31. Ge. III 13, eadem verba Ae. IV 457 et VI 69. — 848. Sensu translato hoc vocabulum significat mare. Sic iam Ennius eo usus est A. 384 abl. sing. i. V. p. Pluralem per analogiam vocis 'aequora' primum Catullus 63, 88 'marmora pelagi' i. V. p. Vergilius non nisi singulariter hoc vocabulo utitur, ubi de mari agitur, i. V. p. Ae. VII 28 et 718.

mella[2]). Pluralis primum apud Varr. Atac. f. 20 (ed. Baehrens) invenitur: 'dulcia cui nequeant suco contendere mella'. Vergilius usu plurativo magnopere favet: ecl. III 89 'mella'

1) Neue I 620. Maas 480. 522. 529. Hailer 5. Overholthaus 6. Slotty 15/16.

2) Neue I 580. 615. 748. Maas 503 n. 504. 522. Appel 24. 41. Meyer 0. 17. 99. Hailer 8. Bednara 555 n. 5. 558.

i. I. p. IV 30 attrib. i. V. p., subst. in versus fine. Ge. I 131 in I. p. IV 35 in fine versus. 57 'excudunt ceras et mella tenacia fingunt', 101 'dulcia mella', i. I. p. cum attrib. et attrib. i. V. p. repetitum. 141 i. I. p. 163 'purissima mella', attrib. i. V. p., itemque 213 'constructaque mella' et 169 'fragrantia mella' et 228 'servataque mella', attrib. i. V. p., subst. in fine. 265 'mella' i. I. p. Ae. I 432 'liquentia mella' et 436 'fragrantia mella'. IV 486 'spargens umida mella'. Aet. 13 i. V. p. usus pluralis praevalet prae singulari, cuius ablativum legis Ae. VI 420 i. I. p., dat. ge. II 436 (in versus fine). Gen. ge. IV 1 et 205. Tibullus quoque plur. et sing. promiscue usurpavit: I 3, 45 'ipsae mella dabant quercus'. Sing. autem abl. I 7, 54 i. V. p. et II 1, 50. Propertius plurativi usus exempla praebet nulla. Ovidius utriusque numeri usus exempla profert. Mella: am. III 8, 40 post pent. caes. 'mella reperta' attrib. i. V. p. Med. 82 eodem versus loco sed mutato verborum ordine: 'Attica mella'. Antecedit 66 i. V. p. ante voc. 'mellis' et sequitur 90 post pent. caes. abl. sing. 'melle'. A. a. I 748 'mella' i. V. p. II 418 'Hymettia mella' attrib. i. V. p. Met. I 112 'flavaque .. mella', attrib. i. I. p., subst. i. V. p. Met. XIV 274 'mella' i. I. p. XV 80 'mella .... redolentia', attrib. i. V. p. Fast. I 185 'condita mella', attrib. post pent. caes. et subst. i. V. p. 192 sequitur 'mel'. III 736 'mella reperta' post pent. caes.; cfr. 744 'mellis' i. V. p. ante vocalem et 752 'condita mella' post pent. caes., sequitur eodem sensu 761 abl. sing. i. I. p. et 762 eadem verba ac 752 eodemque versus loco. IV 152 'mella liquata' p. pent. caes. et i. V. p., eodem versus loco sed ordine verborum mutato 546 'aurea mella'. V 271 'mella' et i. I. et i. V. p. Forma 'mel' praeter locum supra commemoratum (Fast. I 192) etiam legitur Pont. IV 2, 9 'quis mel Aristaeo' ante voc. Sequntur pluralia in eadem sententia 'vina .. fruges .. poma'. Abl. sing. — plurativus non adhibetur — saepius occurrit et i. I. p. et in V. aut p. pent. caes. Gen. sing. i. V. p. ante vocalem perbene quadrat ad versus heroici rationem.

ministeria[1]). pps Vergilius Ae. VII 619 'foeda mimisteria' i. e. 'recludere portas' (v. 617) Iani templi. Seyss plurali poetam tempus triste et horribile belli incipientis exprimere voluisse censet; sententia nimis arcessita et paene

1) Braumueller I 16. Seyss 8.

ridiculosa. Pluralis exstat attributo cogente. Sing. nom. VI 223 'triste ministerium‿et'.

monumenta[1]). pps Vergilius Ae. VI 26 'Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae', i. V. p. XII 945 'saevi monumenta doloris' i. V. p. de balteo, cfr. 944 de eadem re 'inimicum insigne' et 942. Ovidius am. I 7, 31 'pessima Tydides scelerum monumenta reliquit Ille deam . . perculit', attrib. i. I. p., subst. i. V. p. Met. X 725 'luctus monumenta manebunt', Adonis intellegendus est i. V. p. Trist. III 3, 78 'maiora libelli Et diuturna magis sunt monumenta mihi', i. V. p.; eodem sensu V 14, 1 'quanta tibi dederim nostris monumenta libellis', attrib. i. I., subst. i. V. p.; de coniugis memoria agitur, cui monumentum aere perennius poeta scriptis suis exegit; cfr. Hor. carm. III 30, 1. Fast. III 513 'monimenta Coronae', i. V. p. IV 709 'factum abiit, monimenta manebunt'. VI 611 'templum, monumenta parentis', i. V. p. 802 'clari monumenta Philippi', i. V. p.; aedes Herculis Musarum intellegenda est, quae a Fulvio Nobiliore, Ennii fautore, aedificata postea a L. Marcio Philippo renovata et porticu circumclusa est[2]). Causa nulla cogente exstat plur. abl. Met. XIII 524 'condeturque tuum monumentis corpus avitis'. Pluralis proprio sensu intellegitur: Met. IV 162. Pont. III 5, 35 (de epistulis) et IV 14, 15. Met. I 159. IV 550. Fast. II 265. 301. VI 195 et nonnullis aliis locis. Tibullus semel tantum hoc vocabulum in usum vocat plurativo sensu I 7, 57 'monumenta viae'.

monstra[3]). Ennius sing. sc. 289. pps Vergilius Ae. III 307 'magnis‿exterrita monstris', cfr. 306. V 659 'attonitae monstris‿actaeque furore'. VII 376 'ingentibus‿excita monstris', versus sequens a vocali incipit. Eodem sensu antecedit 348 'monstro' ante cons.; de angue cfr. 346. IX 128 'Troianos haec monstra petunt'. Propertius IV 7, 58 'lignea monstra bovis', p. pent. caes. attrib. et i. V. p. subst. Ovidius met. II 675 'nomen quoque monstra dedere', i. V. p., de Ocyroa quae in equae cessit figuram. IV 491 'his exue monstris', monstra i. e.

1) Braumueller I 16. Norden, comment. Verg. p. 128.

2) Richter, Topogr. v. Rom 219. Cuius templi Romani scriptores his praecipue locis mentionem faciunt: Cic. pro Arch. poet. 11, 27. Suet. Aug. 29. Serv. ad Verg. Ae. I 8. Macrob. I 12, 16. Ovid. a. a. III 168.

3) Braumueller I 13. Appel 24.

draco in quem Cadmus conversus est. V 216 'remove tua monstra', i. V. p. Medusae os intellegendum est. 459 'monstra' i V. p. de anus cuiusdam filio qui a Cerere in stellionem mutatus est. Proprio sensu pluralis saepius invenitur etiam ante voc., ut supra, abl. velut met. IV 487 'monstris‿exterrita'.

mugitus[1]). Scriptores, qui rei publicae liberae atque prioris imperatorum aetatis temporibus floruerunt, pluraliter hanc voculam non usurpaverunt; hic usus poeticae dicendi rationis propria est. Vergilius agmen ducit: Ge. II 470 'mugitusque boum'. Ae. II 223 'clamores ... horrendos ad sidera tollit Qualis mugitus'. XII 103 'mugitus veluti .. taurus Terrificos ciet'. Abl. mugitibus: Ecl. VI 48 'Proetides implerunt falsis mugitibus agros'. Ge. III 150 'furit mugitibus aether'. 554 'balatu pecorum et crebris mugitibus amnes ... sonant'; tribus hisce locis abl. extat i. V. p. ante voc., in tertio exemplo respondet plurali ablativus sing., cui similis inest notio. Tibullus semel tantum singularis abl. huius vocis exhibet II 3, 20. Ovidius etiam ad elisiones evitandas, epist. XIV 91 'mugitus‿edidit ore', eadem verba met. I 637; similia VII 597 'mugitus victima diros Edidit' et XIV 409 'lapides visi mugitos‿edere raucos'. Nulla cogente causa XV 510 'mugitus' ante cons. Denique ut supra ad elis. evitand. trist. IV 1, 54 'edere mugitus‿et'. Saepius etiam abl. plur. rem. 183 'sonant ... silvae mugitibus altae'. Met. III 21 'mugitibus impulit auras'. V 165 'mugitibus armentorum'. VII 114 'locum mugitibus impleverunt'. XV 465 'praebet mugitibus aures', uno loco — Met. III 21 — excepto abl. plur. semper i. V. p. et ante vocalem ut apud Vergilium extat. Etiam abl. sing. occurrit: Met. I 732 'gemitu et lacrimis‿et ... mugitu', in versus fine, sed versus sequens, qui cum illo cohaeret, a cons. incipit. Acc. sing. Fast. I 560 ante cons. 'mugitum rauco .. dedere sono'.

munera[2]) (δῶρα Hom.). pps primum apud Lucretium legitur I 32 'belli fera numera', i. V. p.; contra eodem sensu V 1308 'munere belli', itemque i. V. p. Vergilius Ae. IV 263 'ardebat murice laena Demissa ex umeris, dives quae munera Dido Fecerat', i. V. p. V 846 sensu translato non donum signi-

1) Neue I 559. 646. Braumueller I 15.

2) Jacob p. 189. Braumueller I 12, 83. Bednara 559.

ficatur sed idem ac vernacule 'Amt' 'pro te tua munera inibo', i. V. p. Cul. 291 'divae corrupit munera lingua', 'munera' i. e. reditus concessus, i. V. p. Tibullus nom. et acc. plur. decies proprio sensu plurativo, semel tantum pps intellegendus esse mihi videtur: nimirum P 7 'est nobis voluisse satis, nec munera parva Respueris', i. V. p. Singularis forma 'munus' bis ante voc., i. V. p. et post pent. caes. II 1, 57 et 4, 44. abl. sing. bis: I 9, 43 i. V. p. et L. 1, 4 p. pent. caes.; etiam Abl. plur. I 9, 11 i. I. p. Propertius pps non usurpavit. Ovidius am. II 15, 9 'utinam fieri .. mea munera possem', i. V. p., de anulo agitur, cfr. 'dona' ad h. l. Epist. III 149 'serves nostram, tua munera, vitam', i. V. p. Briseidos verba. VII 187 'conveniunt fato tua munera', i. V. p., Dido 'munera' voce significat ensem quem Aeneas ei pro hospitio dederat. XI 19 [1]) 'infestum, funebria munera, ferrum', i. V. p. 104 'nocituraque munera solvit Liber'; Midas a deo petiverat, ut quaeque contigisset, aurum fierent, cfr. 'optata' ad h. l. XIV 124 'quaeque tibi tribui munera', post pent. caes.; 'munera' referuntur ad Lyncei vitam, cui Hypermnestra pepercerat. Sapph. 181 [1]) 'chelyn ..., communia munera', i. V. p. A. a. I 691 'non sunt tua munera lanae', i. V. p., cfr. 690. II 664 'munera censor habet', p. pent. caes., cfr. 663. Met. II 55 'munera conveniunt', i. I. p., de Solis curru quem Phaethon pethit. De eadem re sequitur 88 i. V. p. ante voc. gen. sing. 'muneris'; deinde 106 [1]) 'Volcania munera, currus', i. V. p. VIII 94 'scelerataque dextra Munera porrexit', i. I. p. Scylla Minoi regi 'purpureum crinem' patris tradidit. De eadem re agitur 111 'nec te data munera' (sc. moverunt). Met. XIII 296 'duri fugientem munera belli', i. V. p., cfr. supra Lucret. Abl. sing. persaepe; etiam abl. plur. pro sing. extat [2]): Epist. XI 99 'his mea muneribus ... conubia donas'; 'muneribus' i. e. ensis quem pater Canacae misit. Sing. forma 'munus' saepius, velut met. XIV 685 i. I. p. ante voc. et 225 attributi causa: 'memorābĭlĕ munus'.

murmura [3]) apud Ennium obviam non fit neque sing. neque plur. Pacuvius semel sing. exhibet 417 'murmur maris'. Scriptores voculam illam pluraliter in usum non vocant; Cha-

1) Appositio plurativa; cfr. p. 21. — 2) Proprio sensu abl. plur. met. VII 750. Dat. plur. metri causa cogente a. a. I 69: mūnĕrī ad hexam. non quadrat. — 3) Neue I 657. 749. Bednara 559.

risius ei singularem tantum numerum tribuit. Poetae pluralem sibi concesserunt inde a Lucretio qui eo quadragies utitur i. V. p. hisce locis: III 1032 'murmura ponti'. V 1193 'rapidi fremitus et murmura magna minarum'. 1221 'percurrunt murmura caelum'. VI 410 'fremitus et murmura concit'; bis i. I. p.: VI 288 'murmura percurrunt caelum'. I 723 'Aetnea minantur Murmura flammarum', attrib. i. V. p. cuius sing. Āetnĕūm ad hexam. non quadrat. Lucret. nom. sing. exhibet VI 142 in fine versus; abl. sing. I 69 i. I. p. VI 101 et 197 i. V. p. Vergilius Ae. IV 210 'inania murmura miscent', i. V. p. et X 99 'caeca volutant Murmura ... prodentia ventos'. Etiam singularis 'murmur' legitur: ge. I 109 in fine versus; eodem loco Ae. XI 298 et XII 239. Abl. sing. i. V. p. Ae. I 55. 124. 245. IV 160. V 369. VI 709. XII 591 i. I. p. III 582. Gen. sing. 'murmuris' i. V. p. ante voc. ecl. IX 58. Propertius i. V. p. his locis: II 5, 29 'murmura famae'. IV 4, 61 'fera murmura'. I 8, 5 'murmura ponti' [1]) (cfr. Lucr. III 1032) post pent. caes. IV 8, 50. Ovidius epist. IX 41 'murmura famae'. A. a. III 795 'iucundaque murmura', i. V. p. Met. I 206 i. I. p. II 788 'murmura parva dedit', i. I. p. Epist. XVI 149 'mala murmura vulgi' (cfr. 85 abl. sing. i. V. p.). Met. X 382 'murmura verborum', i. I. p. 702 'pro verbis murmura reddunt', i. V. p. XI 330 'murmura ponti', i. V. p. XII 49 'parvae murmura vocis', i. V. p. XIV 604 i. I. p. Trist. I 11, 7 'fera murmura ponti', i. V. p. Forma 'murmur' quoque non raro invenitur, non solum in versus fine sed etiam i. V. p. ante voc.: a. a. II 466 i. V. p. a. voc. et epist. XVII 80. Pont. IV 13, 36. Fast. III 18. In fine versus: a. a. II 723 Met. V 597. VIII 431. — i. I. p. ante voc. met. IX 421. XIII 124. XIV 281. XV 35. Abl. sing. saepissime imprimis i. V. p. velut epist. XVI 85. XVII 19. XX 1. A. a. I 369. Rem. 177. Met. II 455. V 587. VI 203. 327. 328. VII 186. 251. VIII 553. IX 40. XI 603. XIII 350. 567. XIV 537. Trist. I 2, 25. Ib. 77. Fast. III 273. IV 267. i. I. p. Met. IV 70. p. pent. caes. Fast. V 458.

murra — μύῤῥα [2]) sing. iam apud Plaut. legitur in Asin. 929 'murram ole'. Ovidius pluralem et sing. promiscue exhibet, Med. 88 'e murris pinguibus adde cubum'. 91 'olentibus

---

1) h. l. deest apud Neuium.
2) Weise 468. Neue I 601.

addere murris', sequitur 92 'murra' (nom. sing.). Met. IV 393 'redolent murraeque crocique'. Fast. I 339 'lacrimatas cortice murras Acta'.

musta[1]). Vergilius singularem tantum usurpavit: ge. I 295 'dulcis musti ... umorem'. II 7 'musto Tingue novo'. Pluralem primus Tibullus exhibet: I 1, 10 'pingiuia musta lacu', i. V. p., attrib. p. pent. caes. Eodem versus loco 5, 24 'candida musta' et II 3, 66 'tua musta'. Contra sing. abl. II 5, 85 'musto'. Ovidius: Rem. 190 'musta', i. V. p., 'nudo sub pede musta fluunt'. A. a. II 695 'nova musta bibant'. Trist. III 10, 72 'cumulant ... fervida musta lacus', i. V. p. Ex Pont. II 9, 32 'musta ... nulla fluunt', i. I. et V. p. Fast. III 558 'tertia musta', p. pent. caes. et i. V. p.; eodem versus loco IV 888 'proxima musta', i. V. p. 894. Met. XIV 146 'ter centum musta', i. V. p. Abl. plur.: Am. I 15, 11 'mustis uva tumebit'; ad h. l. cfr. Serv. ad Verg. ge. II 7: 'licet Ovidius abusive dixerit musta, sed hoc ille plus fecit, quod et mustis dixit'.

myrti[2]) — μύρτον, μύρτοις Pind. Isthm. III (IV) 118. Sing.: Cato agr. 8, 2. 51. 133, 2. Calp. Piso 113, 17 (Peter hist. rel.). Catullus primus pluralem sibi concessit: 64, 89 'quales (ante voc.) ... myrtus'; contra sing. 61, 22 'myrtus'. Etiam Vergilius utrumque numerum in usum vocat: plur. nom. ecl. VII 62 'formonsae myrti Veneris'. Ge. II 64 'Paphiae de robore myrtus', attributi causa, cum singularis tribrachyn efficit. 447 'myrtus' inter compluria pluralia. Sing. nom. Ae. III 23 'horrida myrtus'. Abl. sing. ge. I 28 'myrto' eadem verba Ae. V 72. Acc. sing. Ae. VII 817 'pastoralem ... myrtum'. Acc. plur. ecl. VII 6 'teneras (a. cons.) ... myrtos'. Itemque ge. IV 124 'amantis litora myrtos' nulla cogente causa. Tibullus bis sing. tant.: I 10, 27 et 28 'myrto'. Ovidius semel tantum pluralem adhibuit a. a. III 181 'hic Paphias myrtus‿hic', a. voc.; aliis locis semper sing.: myrtus a. a. III 690. X 98. Myrtum: Am. I 15, 37. Myrto: a. a. III 53. Fast. IV 15. 139. 143. 869.

nomina[3]). pps inde a Vergilio ge. III 36 'demissaeque a Iove gentis nomina', i. I. p., fortasse etiam 158 'nomina gentis

1) Neue I 601. Maas 521. 29. Hailer 7. Bednara 545.

2) Weise 464. Bednara 540. Neue I 768/9.

3) O. Keller 201. Appel 23. 26. Bednara 559.

inurunt' (sc. vitulis). Contra pluralem exspectamus Ae. VI 776 'haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae', abl. i. V. p. Sing. et nom. et acc., abl. sing. i. V. p. saepe, gen. sing. i. V. p. ante voc. Ae. VII 723. Horatius pps carm. III 27, 76 'tua sectus orbis Nomina ducet' (de Europa) primo versus qui vocatur Adonius, loco merus dactylus debet extare. Idem dicendum est de carm. IV 2, 4 'vitreo daturus Nomina ponto', de mari Icario. Tibullus omnes singularis formas exhibet, plur. non occurrit. Propertius pps IV 2, 50 'unde hodie vicus nomina Tuscus habet, i. V. p. Ovidius pps am. I 3, 26 'iunctaque . . . nomina nostra tuis', attrib. i. I., subst. i. V. p.; nomen poetae cum Veneris. Epist. IV 130 'nomina vana', i. V. p., quae verba ad novercae nomen spectant. V 21 (et eadem verba 23) 'servant mea nomina fagi' (Oenonae nomen), i. V. p. XVI 51 'genus et proavos et regia nomina iactas', i. V. p., sc. Paris. XVII 139 'de virgine (sc. Helle) nomina mersa', i. e. Hellespontus; de eadem re extat XVIII 164 sing. 'dedit . . . femina nomen aquis'. Sapph. 3 'auctoris nomina Sapphus', i. V. p. Eodem sensu legis 33 'nominis', ante voc. post pent. caes. et 34 'nomen' ante cons. A. a. I 288 'dominae nomina gutta tenet', post pent. caes. Rem. 550 'imposuit templo nomina celsus Eryx', p. pent. caes. A. a. III 184 'et sua . . . nomina cera dedit', i. I. p. attrib. et p. pent. caes. subst. Met. VIII 508 'maternaque nomina', i. V. p. IX 466 'nomina sanguinis odit', sc. Byblis quae a fratre amato soror appellari nolit. XIV 396 'nec quicquam antiqui Pico nisi nomina restat', i. e. nomen Pici, i. V. p. Trist. I 1, 90 'Icarus . . . nomina fecit aquis', p. pent. caes. III 6, 35 'stultitiamque meum crimen debere vocari Nomina si facto reddere vera velis', subst. i. I. p., attr. i. V. p. V 9, 1 'o tua . . . nomina', i. I. p. et i. V. p., de Caesare; itemque 32 'nominis', ante voc. p. pent. caes. Ib. 14 'nomina nostra', i. V. p., sc. poetae nomen, cfr. ex Pont. I 1, 30 'dempto nomine' (sc. meo.). Ib. 370 'nova Myrtoae nomina fecit aquae', attrib. i. thesi I. p., subst. p. pent. caes. 444 'sint fati nomina nulla tui'. 514 'nomina des rapidae . . . aquae', i. I. p. 552 'Phrygium . . . nomina flumen habet', p. pent. caes. Ex Pont. I 1, 46 'gentis Iuleae nomina sancta fero', cfr. de Caesaris nomine II 1, 50 gen. sing. ante voc. I 9, 44 'tua . . . nomina, Celse, legant', attrib. i. I. p., subst. post pent. caes. II 9, 51 'si tua nomina

demas'. IV 1, 3 'a me tua nomina poni', sc. Pompei cuiusdam; cfr. eodem sensu IV 2, 3 'Severe ... cuius ... nomen'. Fast. I 330 'nomina de ludis Graeca tulisse diem', agitur de Agonalibus, i. I. p. 592 de Augusto 'contigerunt nulli nomina tanta viro', proprie cum numerali 'tot' 599. II 16 'at tua .. Caesar Nomina', et attrib. et subst. i. I. p. 130 'sero ... vera tulisti Nomina', sc. Romulus cui datum est nomen patris patriae; cfr. 127/8 ubi eodem sensu extat bis sing. 'nomen' i. versus fine et i. V. p. ante voc.; itemque 132 'nomen habes' et 142. 449 'dedit haec tibi (sc. Lucinae) nomina lucus', i. V. p. 686 'traxit ab illa (sc. regis fuga) Sextus ... nomina mense dies', p. pent. caes. 837 'Brutus ... animo sua nomina fallit', i. V. p. III 4 'a te (Marte) nomina mensis habet', p. pent. caes. 150 'a numero nomina quisquis (sc. mensis inde a Quintili) habet', p. pent. caes. 387 'dederat Saliis a saltu nomina dicta', i. V. p. 390 'nominaque extremo carmine nostra (i. e. mea, Mercurii) sonent'. 810 'fiunt sacra Minervae Nomina'. 870 'femina ... nomina fecit aquae', i. V. p., i. e. Helle (Hellespontus). IV 70 'adhuc Circes nomina litus habet', p. pent. caes.; cfr. 80 'Sulmonis moenia nomen habent'. 284 'Icarus ... nomina fecit aquae', p. pent. caes. 474 'locus curvae nomina falcis habet'. 873 'a Siculo nomina colle tenent', p. pent. caes. V 1 'Maio data nomina mense', i. V. p.; de eadem re cfr. 103 'materno donasti nomine mensem', i. V. p., sc. Maium. 149 'res nomina fecit, i. V. p., sc. mensi Augusto. 182 'illa dedit coelum, nomina fecit Hyas', p. pent. caes. 205 'nomina nuptae', i. V. p. VI 35 'an potuit Maio paelex dare nomina mensi', i. V. p. 40 'a nullo nomina mense traham', sc. Iuno, p. pent. caes. VI 578 'Unde Fenestellae nomina porta tenet', p. pent. caes. Dativus sing. omnino non legitur, plurativus pro sing. epist. II 50 'nominibusque tuis', Demophontis nomen intellegendum est, et trist. II 434 'rebus adest nomen nominibusque pudor'. Praeterea omnes singularis formae obviam fiunt imprimis abl. i. V. p. aut p. pent. caes. et nom. vel acc. nonnumquam etiam attributo cogente velut a. a. III 407, trist. I 8, 15 'vĕnĕrābĭlĕ', cum venerābĭlĭă non quadret ad hexametrum; et fast. II 93 'Arīŏnĭum'. Ex Pont. III 3, 104 'grandius'. Met. XV 876 'indelebile'. X 608. VI 12. VIII 592 'virgĭnĕum. Fast. I 608. II 859 et aliis locis.

numina[1]). Lucretius plurativo sensu i. V. p. cum genet. 'deum' coniungit hoc vocabulum velut II 434 'divum numina sancta'. IV 1233 'divina ... numina'. Contra in abl. semper sing. velut II 168 'deum sine numine', i. V. p. et Catullus semper numine cum genetivo 'deum' vel 'caelestum' coniunctum exhibet: 64, 131 'numine divum', quam versus terminationem cum etiam Vergilius eandem exhibeat Ae. VI 368 ad Ennium referendam esse, Nordenum secutus, censeo. pps inde a Vergilio: ge. I 30 de Caesare: 'ac tua nautae Numina sola colant', attrib. i. V. p., subst. i. I. p. Ae. I 666 'tua numina posco', i. V. p. Venus filium 'aligerum' alloquitur. Ae. II 232 'orandaque divae (sc. Minervae) Numina', attrib. i. V. p. et subst. i. I. p. III 359 'numina Phoebi', i. V. p. 543 'numina sancta precamur Palladis', i. V. p. VII 297 'mea numina', i. V. p., Iuno de se ipsa, itemque 310. VIII 78 i. V. p. 'tua numina', sc. Tiberii. XI 901 'Iovis ... numina', i. V. p. Cul. 298 'patris ... numina', i. V. p. Cir. 245 'Dictynnae praesentia numina', i. V. p. Tibullus pps i. V. p. his locis: I 2, 79 'Veneris ... numina'. 3, 79 eadem verba. III 19, 15 'sancta tuae Iunonis numina'. III 25, 29 'Tuscae celebrantur numina lymphae'. p. pent. caes. III 6, 22 'numina magna', sc. Bacchi; praeterea i. V. p. sed plurativo sensu III 4, 53. Verg. Ae. II 141, aliisque locis. Propertius pps sibi non concessit. Ovidius: Am. II 8, 18 'per Veneris ... numina magna', p. pent. caes. Epist. II 43 'sua numina quisque deorum'. III 53 'per numina matris aquosae', Thetidos. V 5 'quis deus opposuit nostris sua numina votis'. XIII 159 'corpusque tuum, mea numina', i. V. p. XIX 100 'cum sua ... numina laesa videt', sc. Diana. Met. VI 4 'numina ... nostra', sc. Minervae, de eadem 44 itempue i. V. p. 315 'gemelliparae ... numina divae', sc. Latonae, i. V. p., de eadem 331 'numen' ante voc. XV 675 'numina', i. V. p., de Apolline, cfr. de eodem deo 680 'numen' ante voc. i. V. p. et 693 'numinis', i. V. p. ante voc. Trist. II 573 'tua numina', sc. Augusti, i. V. p.; de eodem III 5, 26 'tristia ... numina', attrib. i. I. p., subst. p pent. caes.; de eodem cfr. 6, 23 gen. sing. 'numinis', i. I. p. ante voc. V 4, 17 'numinis', i. V. p. ante voc. V 10, 52 'Caesaris ... numine', post pent. caes. V 11, 20 'Cāēsărēūm numen'; attri-

1) Hailer 19. Appel 23. Spitta 11. 12. Seyss 13. Braumueller I 13. Keller 206. Landgraf 70. Norden 230. 368. Bednara 559.

buti causa velut Pont. II 1, 15 frugĭfĕrum n., ubı plur. ad metrum non quadrat. Pont. I 10, 42 'Caesaris ... numen', i. V. p. ante voc. De eodem II 1, 47 gen. sing. i. V. p. ante voc. et 111 eodem versus loco 'numen'; idem IV 6, 10 i. I. p. et IV 13, 26. IV 4, 17 'Iuppiter ... sua numina', i. V. p. Pont. II 8, 37 de Caesare: 'et tua ... Numina sint ... inimica', de eodem IV 8, 23 'tua numina', i. V. p. et IV 9, 133 eadem verba. Fast. II 506 'numina nostra' de Quirino, i. V. p. III 421 'aeterni numina praesunt Caesaris', i. V. p. IV 253 'sua numina', sc. Magnae Matris, i. V. p. 865 'numina ... Veneris', i. I. p. 684 'numina magna Iovis'. Abl. sing. i. V. p. apud Vergilium velut Ae. VII 119. 385. 584 permultisque aliis locis; itemque saepe apud Ovidium, qui etiam singularis ablativum exhibet, ubi plurativum expectamus velut fast. III 705 'prohibente deorum Numine'; et epist. IV 50 (Fauni) 'numine ... suo', i. I. p.; dat. plur. fast. III 776 'numinibusque tuis', sc. Bacchi. V 328 'numinibus nostris', de eadem dea 333 'numen ... severum', Flora intellegenda est.

obitus[1]). Cuius vocis numerus plurativus a poetis per analogiam nominium 'ortus occasus' usurpatur. Catullus plurativo sensu 66, 2. Vergilius ge. I 257 de compluribus stellis proprio sensu. Contra Ae. IV 496 de Didonis morte 'Iuno ... miserata dolorem Difficilisque obitus', ante voc.; plurali elisio evitatur. Ovidius singularem tantum exhibet velut met. III 137 et XV 151.

oblivia[2]). Mar. Victor. VI 25, 10 (1. S. 2469) 'contagio' apud omnes fere veteres scriptum est nominativo casu ut 'obsidio' quoque et 'oblivio': sed poetarum licentia prius fecit 'contagia' et 'obsidia' et 'oblivia', postea dici coepit et 'oblivium' et 'obsidium' et 'contagium'. Cum antiquitatem igitur posterior consuetudo vincat, vos utro modo scriptam vocem hanc inveneritis, ita relinquite, dum non ignoretis ab antiquis nominativo 'haec contagio dictum'. — Pluralis 'oblivia' saepe occurrit inde a Lucretio: III 828 'furorem animi .. atque oblivia rerum', i. V. p. Eodem versus loco 1066 et IV 826 'sopor atque oblivia'

---

1) Seyss l. c. qui ridiculosam profert explicationem pluralis. Sed silentio eam transeamus. Slotty 27.

2) Neue I 644.

et VI 1213 'oblivia rerum Cunctarum'. Vergilius semel: Ae. VI 715 'securos latices et longa oblivia potant', i. V. p.; eodem sensu Hor. serm. II 6, 62 'iucunda oblivia vitae', i. V. p. Ovidius rem. 553 'votis oblivia poscunt', i. V. p. et Met. IV 208 'oblivia fecit'. 502 'errores vagos caecaque oblivia mentis', i. V. p. VII 45 'timeam fraudem .. et .. oblivia nostri', Medeae verba. XII 539 'oblivia laudis', i. V. p. Trist. I 5, 13 'meritorum oblivia', i. V. p. I 8, 11 'tantane te ... cepere oblivia nostri'. V 7, 29 'oblivia nostri'. 69 miserarum oblivia rerum'. V 12, 17 'oblivia vestri'. Ex Pont. I 5, 55 'oblivia nostri'. II 4, 29 'nostrarum .. oblivia rerum'. II 11, 5 'nominis .. oblivia', i. V. p. IV 10, 19 'patriae .. oblivia' i. V. p. Fast. V 311 'correcta oblivia damnis'. Exempla hanc vocem non nisi i. V. p. a poetis pluraliter usurpari demonstrant. Scriptores aureae quae audit aetatis ea non utuntur, sed 'oblivio' vocem III declinationis non nisi singulariter; sed Tacitus hist. IV 9 abl. sing. Contra pluralem legis apud Horatium carm. IV 9, 34 'cārpĕrĕ līvĭdās‿ŏblīvĭōnēs‿ est'; ubi singularis et hiatum et elisionem effecisset[1]). Pluralis etiam apud posterioris aetatis scriptores occurrit, velut apud Gellium n. A. IX 5, 6 inter compluria pluralia 'iniurias desidias obliviones ignavias'; Quint. decl. 306.

occasus[2]) — δυσμαί[3]). Aeschylus Pers. 232, fr. 69. Sophocl. O. C. 1245 — scriptores pluralem usurpant proprio sensu, velut auct. ad Her. III 22, 36, sensum plurativum intellegendum esse elucet ex adverbio 'cotidie'; itemque loci Ciceroniani plurativo sensu intellegendi sunt de nat. deor. II 37, 55 'omnium (sc. stellarum) ortus et occasus'; de div. II 44, 92 'ortus et occasus siderum apud omnes (sc. orbes)'. Catullus proprio sensu pluralem exhibet 66, 2 'stellarum ortus comperit atque obitus'; contra sing. acc. ubi caeli regio intellegenda est 66, 67 'vertor in occasum'. Vergilius non nisi singulari utitur: Ge. I 225 'ante occasum Maiae'. 402 'solis et occasum'. III 336 'solis ad occasum'. Ae. XI 317 'in occasum'. Ae. I 238 'occasum Troiae'; abl. sing. Ae. IX 668 'ab occasu veniens' et II 432 (proprio sensu). pps Ovidius met. II 190 'prospicit occasus‿interdum respicit ortus', plur. ad elisionem evitandam.

1) Maas 540.
2) Neue I 646. Maas 487. 494. Bednara 562.
3) Witte 37.

per analogiam vocis non nisi pluraliter in acc. usurpatae 'ortus' in usum vocatus est. XIV 386 'tum bis ad occasus bis se convertit ad ortus'. IV 626 'saepe sub occasus, saepe est ablatus in ortus', concinnitatis causa; ex Pont. I 4, 30 'solis ad occasus' ante voc., cfr. 29 'solis ab ortu'. Aliis locis semper singularis occurrit velut acc. trist. IV 9, 21, abl. sing. met. V 445 'solis ab occasu solis quaerebat ad ortus'. Fast. IV 626.

ōesȳpă [1]) — οἴσυπος — quam vocem Ovidius primus in linguam latinam transtulit. Quamquam formas velut oesypam vel oesypum exspectamus, poeta acc. neutrius pluralis ponit cum propter dactylum, qui eo efficitur merus, aptior est ad metrum heroicum. Bis tantum obviam fit: a. a. III 213 'oesopa quid redolent', i. I. p.; et rem. 354 'fluere .. oesopa lapsa sinus', post pent. caes. et attrib. i. V. p.

optata. Ovidius primus pluralem exhibet, ubi de una tantum re optata agitur: Met. VI 370 'eveniunt optata deae'. Latona deos precata erat ut rustici Lycii qui ei aquam denegaverant, in ranas mutati viverent in lacu. Met. XIV 135 'elige . . . quid optes: Optatis potiere tuis' ante voc.; cfr. v. 136—137. XI 104 'annuit optatis' (ante cons.) nulla cogente causa. Midas oraverat, ut quaeque contigisset, aurum fierent; cfr. 102. Ib. 70 'optatis pondus inesse meis' ante voc. 87 'adnuite optatis omnes .. nostris', sequitur (88) de eadem re 'voti .. mei'; praeterea hic versus, qui cum antecedenti cohaeret, a vocali incipit; singularis ergo hiatum effecisset.

ortus [2]) — ἀντολαί [3]). Homer μ 4. Aesch. Prom. 457. 707. 791. Agam. 1180. Eur. Phoen. 504. fr. 482, 2. — Cicero ubi oratione soluta utitur, pluralem usurpat proprio sensu plurativo velut de inv. I 34, 59 'signorum ortus et obitus', de orat. I 42, 187 'ortus siderum', de div. I 56, 128 'solis et lunae reliquorumque siderum ortus obitus motusque', II 43, 91 'ortus nascentium', de fat. IX 17 'signorum ortus obitusque'. Varro r. r. III 16, 12 'ad hibernos ortus'. Contra Cicero in poematis

1) Weise 191. 471. Bednara 345. 545.

2) Neue I 646. 647. Overholthaus 7. Spitta 36. Braumueller I 13. Norden 200. Slotty 27. Landgraf 78. Maas 487. 494.

3) Witte 37.

ubi solis ortus intellegendus est pluralem in usum vocat velut de div. I 47, 106 'seque obitu a solis nitidos convertit ad ortus'. Hunc numerum in accusativo illo sensu poetae inde a Lucretio usque ad Ovidium — hic inclusus est — usurpaverunt, contra in ablativo occurrit singularis. Lucretius acc. in sexto pede I 212 'ad ortus' et V 211. 698 aliisque locis. Catullus proprio sensu 66, 2 'stellarum ortus .. atque obitus', ante cons. Vergilius proprio sensu de compluribus stellis ecl. IX 46 'antiquos signorum .. ortus'. Ge. I 257 'signorum obitus .. et ortus', contra de solis ortu: Ge. III 277 'solis ad ortus'. IV 544 'suos‿Aurora ostenderit ortus'. 552 'suos‿Aurora induxerat ortus'. Ae. IV 118 'primos crastinus ortus Extulerit Titan.' VI 255 'primi sub lumina solis et ortus'; acc. semper in sexto pede, plerumque nulla cogente causa; duobus locis plurativo numero, cum attributum substantivo a vocali incipienti antecedat, elisio evitatur. Abl. sing. de solis ortu legis ge. I 432 'ortu quarto'. Tibullus II 5, 59 de Solis ortu nom. plur. 'quaque patent ortus et qua .. Solis abluit amnis equos'. Acc. plur. P 157 in sexto pede; de stella I 1, 27 'canis aestivos‿ortus' ante cons. Abl. sing. de Solis ortu Lygd. IV 21 i. VI. p. et P 65. Ovidius am. I 13, 11 'ante tuos‿ortus' ante cons., sc. Aurorae. Epist. XX 87 'solitos . . . revocavit ad ortus', sc. Sol equos. Met. I 778 'patriosque adit . . . ortus', Phaethon Solis patris. Met. II 190 'prospicit occasus‿interdum respicit ortus'. V 445 'solis ab occasu solis quaerebat ad ortus', sc. Ceres filiam. XIV 386 'tum bis at occasum bis se convertit ad ortus'. Ib. 11 'gelidos‿aquilonis ad ortus'. 429 'a vespere Solis ad ortus'. Trist. III 5, 55 'hos utinam . . Solis .. ortus‿Asserat'. Fast. IV 777 'conversus ad ortus'. Plur. acc. etiam ubi de die natali agitur vel de patre nominando: Met. II 43 'Clymene veros,‿ait, edidit ortus', sc. Phaethontem. V 494 'ab Elide ducimus ortus', Alpheiae verba. Trist. IV 10, 95 'postque meos‿ortus', ante cons. i. e. inde a poetae die natali. Ex Pont. II 3, 70 'ante tuos‿ortus', ante cons., de amici die nat. Fast. III 727 'ante tuos‿ortus', ante voc., sc. Liberi. De fluminis fonte met. XI 139 'ad fluminis ortus'. Contra in abl. poeta exhibet singularem velut epist. XV 143 'solis ab ortu'. Met. XV 310 'ortu obituque calescit'. Trist. I 2, 27 in sexto pede et IV 9, 21 et II 112 et ex Pont. III 1, 127, I 4, 29 aliisque locis.

otia [1]). Cuius vocis usus plurativus, quem quamquam miri nihil praebebat quia quiescendi status iterari potest, tamen scriptores usque ad Tacitum, Florum, Quintilianum nullo loco sibi concesserunt: Lucretii temporibus pluralis exemplis probatur. Praeter illum cum etiam Claudius Quadrigarius (fr. 28 ed. Peter p. 217) pluralem usurpaverit — locus a Gellio XVII 2, 23 traditur 'hic nimiis in otiis inquit consumptus est, elegantia .. ex multitudine numeri quaesita est' —, nescio an Ennius qui apud illos permultum auctoritate valuit, iam pluraliter hanc vocem in usum vocaverit. — Lucretius V 1387 'otia dia', i. V. p. Catullus 68, 104 'otia', i. I. p. Contra in carminibus lyricis singularis 'otium' 51, 13. 15. 'otio' 44, 15. 51, 44. Vergilius 'otia' ~~quadragies~~ i. V. p. Ecl. I 6. V 61. Ge. II 468. Ae. IV 271. i. I. p. Ge. III 377. Ae. VI 813. Cul. [2]) 73. 245. Horatius plurali utitur in serm. et epist. ~~quadragies~~ ita ut eum ter i. V. p.: serm. I 1, 31. II 7, 112. A. p. 199 semel i. I. p. epist. I 7, 36 'otia ... liberrima', attrib. i. V. p. usurpavit. Singularis obvius est ut apud Catullum ita etiam apud Horat. in carm. lyricis velut II 16, 1 'otium divos rogat'. Tibullus 'otia' i. I. p. II 6, 5 et P 181 'languida .. otia', attrib. i. I. p. Propertius IV 4, 79 i. V. p. 'otia'. Ovidius am. I 9, 41 discinctaque in otia natus'. Epist. XVIII 102 i. I. p. A. a. II 730 'libera ... otia', attrib. i. V. p., subst. i. I. p. Rem. 136 'otia prima', p. pent. caes. subst., attrib. i. V. p. 139 'otia' i. I. p. 143 'tum Venus otia amat'. Met. I 100 'mollia ... otia', attrib. i. I. p., subst. i. V. p.; itemque IV 307 'et tua .. otia' et 309 'nec sua .. otia'. V 333 'otia non sint'. XV 711 'in otia natam', i. V. p. Trist. I 1, 41 i. V. p. I 7, 26 'ignava .. otia', attrib. i. V. p., subst. i. I p. II 224 'otia nostra', subst. p. pent. caes. 235 i. V. p. III 2, 9 'securaque in otia natus'. III 12, 17 i. I. p. IV 8, 7 'otia menti', i. V. p. IV 10, 40 'tuta .. Otia', attrib. i. V. p., subst. i. I. p. 105 'ductaeque per otia vitae', i. V. p. Pont. I 4, 21 i. I. p. I 5, 5 i. V. p. 44 'segnia ducam Otia'. II 9, 61 i. V. p. IV 2, 39 'infelicia perdam Otia'. Fast. I 67 'secura labore Otia terra ferax, otia pontus habet'. II 724 'otia miles agit', p. pent. caes. IV 926 'otia mundus agit'.

1) Neue I 632. Overholthaus 7. Spitta 37. Appel 22. Maas 545/6. Landgraf 73. Slotty 34. 39. 40. 49. Bednara 546.

2) Qui loci desunt apud Neuium.

Palatia[1]). Pluralis — si nonnullos scriptores posteriorum temporum neglegimus — non nisi apud poetas invenitur et imprimis dactylici hanc vocem praecipue i. V. p. in usum vocant inde a Vergilio. Horatius plurativum numerum non usurpavit. Vergilius ge. I 499 'Romana Palatia servas', i. V. p. Tibullus II 5, 25 'herbosa Palatia', i. V. p. Propertius III 9, 49 'decerpta Palatia tauris', i. V. p. IV 1, 3 'sacra Palatia Phoebo', i. V. p. IV 9, 3 'pecorosa Palatia', i. V. p. Ovidius a. a. I 105 'nemorosa Palatia', i. V. p. et III 119. 389 'sacrata Palatia Phoebo'. Met. I 176 'Palatia', i. V. p. Trist. I 1, 70 'alta Palatia', i. V. p. IV 2, 3 'altaque . . . Palatia', i. V. p. Ex Pont. II 8, 17 'sola Palatia', i. V. p.

pallia[2]). Singulariter occurrit apud Plaut., Terent., Catullum in carminibus lyricis 25, 6. 32, 11, non invenitur in hexametris continuis. Varro sat. Men. 311 (de multis, proprio sensu pluralis); plurativo sensu etiam Propertius IV 3, 31 i. V. p. et IV 7, 20 'pallia nostra', p. pent. caes. et IV 8, 87 'singula pallia', i. V. p. Ovidius primus pps am. I 4, 41 'pallia celant', sc. puellae pallium, i. V. p. 50 'conscia de tergo pallia deme tuo'. III 2, 25 'demissa iacent tibi (sc. puellae) pallia terra'. Epist. XIX 208 'umeris pallia lapsa meis'. XX 170 'gravius . . pallia pondus habent'. A. a. I 153 'pallia . . terra . . demissa iacebunt'. Plurativo sensu am. I 2, 2.

papavera[3]). De generibus dicit Plin. n. h. XIX 1, 4 (21) 'est inter papavera genus quoddam'. Pluralis primum obviam fit apud Vergilium ecl. II 47 'summa papavera carpens'. Ge. I 78 'perfusa papavera somnos'. IV 545 'Lethaea papavera', i. V. p. Ae. IX 436 'papavera', i. V. p. Contra singul. papaver: Ge. I 211 'Cĕrĕālĕ păpāvĕr'. Sine attributo in fine versus ge. IV 130. Sed singul. attributo cogente Ae. IV 486 'sopōrĭfĕrūmquĕ papaver', quamquam cum plurali 'mella' coniungitur. Propertius abl. plur. I 20, 38 'lilia . . purpureis mixta papaveribus'. Ovidius am. II 6, 31 'papavera somni', i. V. p.; plur. cuniungitur cum sing. 'nux'. ~~Rem.~~ Med. fac. 99 'madefacta papavera

1) Neue I 599. Keller 215. Appel 22. 62. Bednara 546.

2) Appel 62. Bednara 546.

3) Neue I 614. Maas 506. 23. Appel 39. 109. Hailer 8. Landgraf 69. Bednara 560.

lympha'. Met. XI 605 'fecunda papavera florent'. Fast. IV 547 'somnique papavera causas', i. V. p. Contra sing. papaver: Trist. V 2, 24 attributi causa 'quot soporiferum grana papaver habet'. Fast. IV 151 'tritum ... papaver', i. VI. p. 532 'lene papaver humo', i. V. p. ante voc. Abl. sing. apud Ovidium semel tantum invenitur i. V. p. Fast. IV 661 'redimita papavere frontem'.

partus. Ubi de compluribus partubus aut de gemellis agitur, pluralis summo iure exhibetur non solum a poetis, sed etiam a scriptoribus. Sic Ovidius met. VI 712 'partus enixa gemellos', et fast. IV 647 aliisque locis. pps primum Ovidius epist. IX 50 'non referam partus, Ormeni nympha, tuos', ante voc. ad synaloepham evitandam. Astydamia, Ormeni filia, ab Hercule gravida facta Ctesippum peperit. XI 48 Canace de se ipsa 'rudis ad partus et' ante voc. Met. VIII 451 'partus enixa iaceret Thestias', Meleager intellegendus est, ante voc. Sed etiam nulla causa cogente IX 300 'sustinuit partus' ante cons. Alcumene, quae Herculem peperit, intellegenda est. Eodem modo interpretabimur et v. 301 'inceptos tenuerunt carmina partus', itemque nulla cog. causa. Huc quoque spectat fast. III 258 'gravida .. resoluto crine precetur Ut solvat partus molliter illa suos'. Contra ad synaloepham evitand. fast. I 623 'ne daret partus, ictu .. excutiebat onus'.

pecūlĭă[1]). Plaut. non nisi singulariter. Cicer. Verr. I 36, 93 et Varro r. r. III 1, 7 plurativo sensu. pps Ovidius primus, sed semel tantum am. II 2, 39 'sic tibi semper honos, sic alta peculia crescent', i. V. p.

pensa[2]). Plaut., Lucil., Hor. semper sing. Plur. pro sing. ponit primus Vergilius Ae. IX 476 'excussi manibus radii revolutaque pensa'. Contra singularis ubi pluralem exspectamus VIII 411 'famulasque ad lumina longo Exercet penso', ante cons. Tibullus II 1, 63 'hinc et femineus labor est, hinc pensa colusque'. Abl. plur. ante voc. I 3, 87 'at circa gravibus pensis adfixa puella ... somno fessa remittat opus'. Dat. plur. itemque ante voc. II 1, 10 'lanificam pensis imposuisse manum'. Ovidius semper pluralis accusativum exhibet. pps

1) Bednara 546. Appel 63.

2) Appel 63. Bednara 546.

am. I 13, 24 'lanificam revocas ad sua pensa manum', i. V. p. A. a. I 694 'pensa quid in dextra qua cadet Hector, habes', i. I. p. Trist. IV 1, 13 'data pensa trahentis Fallitur ... labor', i. V. p. Fortasse proprio sensu plurativo epist. III 75. IX 78. X 90. Met. IV 10. XIII 511; sed semper in V. p. cum attributo. 'data p.' aut 'aequa' aut 'grandia' aut 'infectaque p.'

Pergama[1]) — Πέργαμα Soph. — Troiae urbs atque arx intellegenda est. Pluralis iam apud Liv. Andr. obvius est in scen. frg. v. 2 'Pergama Accensa'. Enn. scen. frg. v. 61 'perdat Pergama ardua'. Lucretius I 476 in V. pede. Vergilius Ae. I 466 'bellantes Pergama circum', i. V. p. 651 i. I. p. II 177 i. V. p. item 291. 375 i. I. p. item 556. 571 i. V. p. III 87 i. I. p., item 336. 350. IV 349 i. V. p. et 426 et VI 516 et VII 322 et VIII 37 et 374 et X 58; XI 280 i. I. p. Horat. carm. II 4, 12 in versu Adonio 'Pergama Grais'. Pari modo apud Ovidium aut i. I. aut i. V. p.: Am. II 12, 9. Epist. I 32, 51. III 152. VII 143. XVI 205. A. a. I 478. III 139. Rem. 66. Met. III 320. 349. 374. 507. 520. XIV 467. XII 445. 591. XIII 169. 219. XV 442.

pharetrae. pps Ovidius met. XV 634 'quas habet ipse (sc. Apollo) pharetrae Intremuere'. Aliis locis exstat eodem sensu sing. Pluralis qui h. l. cum compluribus singularibus 'locus et laurus et ... pharet.' coniungitur, pronominis causa usurpatus est, quia singularis hiatum efficit.

pices[2]). Charisius[3]): pix singulariter dicitur, ut ait Varro de similitudine verborum II, quamvis Vergilius dixerit ge. III 450 'Idaeasque pices et pingues unguine ceras'. Ceteris locis Vergilius singularem et abl. (ge. IV 41. Ae. IX 105. X 114) et gen. et dat.

pignora[4]). Catullus abl. sing. 44, 4. Vergilius plur. proprio sensu ecl. VIII 92 'pignora cara sui'. Abl. sing. ecl. III 31 i. V. p. et Ae. III 611. Acc. vel nom. sing. Ae. V 338 'pignus amoris', ante voc. i. V. p.; idem 572; in fine versus Ae. XI 363. Tibullus semel III 19, 17 'mea pignora cedo'; si Disseni explicationem sequimur, pluralis referendus est ad vocem 'timor'

1) Neue I 721. Bednara 546.
2) Neue I 621. Maas 504.
3) p. 91, 26.
4) Appel 23. 72. Bednara 561.

qui erat fidei et amoris pignus. Pluralis ergo cum illa poetica licentia usurpatus est. Ovidius epist. VI 130 'pignoribus parceret illa meis', de nato, quem Hypsipyla Iasoni peperat (fortasse etiam de compluribus). XVII 192 'pignora polliciti non tibi tarda dabo', verba Leandri qui se mox ad Heronem reversurum esse promiserat. A. a. II 378 'in vultu pignora mentis habet'. Met. II 38 'pignora da'; verba Phaethontis qui a Sole postulat pignus quo illum patrem suum esse cognoscat; de eadem re agitur 91 'pignera certa petis? do pignera certa timendo'. V 247 'dabimus tibi pignera veri', cfr. 248/9. Fortasse pps met. VII 497 'pignera formae' et fast. IV 323 'tu nostrae pignora vitae Re dabis', cfr. v. sqq. Singularis ablat. persaepe i. V. p., et nom. vel acc. ante voc., item genet.

pocula[1]). Catullus plurativo sensu 64, 45. Bednara Vergilium pluralem poeticum primum exhibuisse contendit; ego autem Vergilium pluralem non nisi proprio sensu usurpavisse dico. Tibullus primus pps II 1, 32 'sua quisque ad pocula dicat', i. V. p. Pro certo dici non potest utrum pluralis poetia cum licentia sit positus an plurativo sensu hisce locis: I 5, 50. 6, 28. L. 6, 5, 18. Ovidius pps am. I 4, 31 'pocula sumam'; de uno tantum poculo quaestio est. Art. I 576 'rapias illius tacta labellis Pocula'. II 335 'amari pocula suci Porrige: rivalis misceat illa tuus'. Epist. XVI 79 'pocula proxima nobis Sumis'. Met. VII 421 'sumpserat ... Theseus data pocula dextra'. XIV 283 'qua modo pocula parte Sumpta mihi fuerant'. 287 'solus data pocula fugit', de Circes poculo; item 295 'ad insidiosa vocatus Pocula'. Trist. IV 1, 47 fortasse pps 'pocula Lethes'; eadem verba ex Pont. II 4, 23. Trist. V 3, 50 'adponat lacrimis pocula mixta suis'. Fast. V 512 'accipit aequoreus pocula prima deus'.

pondera[2]) pro pondus. Plautus plurativo sensu Truc. 69; eodem modo Catullus 63, 5. Lucretius I 987 'copia materiai Undique ponderibus solidis confluxit ad imum'. 1076 'ponderibus' et 1058 'pondera ... omnia'. Nescio an primo loco pluralis sit poeticus intellegendus? pps inde a Vergilio. Ae. X 496 'immania pondera baltei'; Braumueller l. c. adnotat poetam

1) Appel 21. Bednara 546.

2) Appel 72. Spitta 19. Braumueller I 12. Bednara 561. Keller 212.

pluralem usurpavisse, quia 'gravis' attributum ei non suffecisset ad magnitudinem ingentem denotandam. Quo modo de huius generis explicationibus iudicandum sit, iam supra diximus. Hoc loco pluralem exstare i. V. p. eoque brevium syllabarum numerum perbene augeri satis habeo dixisse; idem dicendum est de v. 527 'auri pondera facti', i. V. p. Contra eodem sensu ante voc. sing. Ae. I 359 'argenti pondus et aurum', item V 407 i. V. p. ante voc.; abl. sing. saepius velut ecl. IV 50 i. V. p.; eodem versus loco ge. I 164. II 254. 351. III 172 i. V. p. 524 i. V. p. Ae. III 49 'auri ... pondere magno'. V 153. 401. 447. VI 413. IX 512 'saxa ... infesto ... pondere'. 752. X 381. XII 727 i. I. p. XII 255. Tibullus non nisi singulari utitur: pondus Lygd. III 11. Abl. sing. I 9, 32 'auri Pondere', i. I. p. et P 41 i. V. p. Apud Ovidium singularis usus superat pluralem. pps am. II 14, 14 'iusta recusasset pondera ferre Thetis', scil. Achillem in ventre suo portare; cfr. epist. XV 44 ubi eodem sensu exstat abl. sing. post pent. caes. 'gravidus iusto pondere venter erat'. II 14, 42 'sint ominibus pondera nulla meis'; cum hoc loco conferas quaeso Ib. 70 'sinite optatis pondus inesse meis', sing. ante voc., eodem fere sensu. III 8, 37 'cumque auro pondera ferri'. Epist. III 4 'lacrimae pondera vocis habent'. XI 37 'tumescebant vitiati pondera ventris', de Canaca gravida. Met. V 81 de cratere 'pondera' i. V. p. 354 'pondera terrae'. IX 438 'propter amara senectae Pondera'. X 677 'adieci sublato pondera malo', cfr. 678 eodem sensu 'oneris ... gravitate'. XIII 108 de Achillis casside 'vertex Pondera tanta feret', i. I. p. 286 'valeant in talia pondera vires', de Achillis armis. XV 1 'tantae pondera molis'. Ib. 249 'pondera rerum'. Ex Pont. II 5, 30 'coepti pondera ferre mei', de maiore carmine haec verba intellegenda sunt, quod poeta ad Augusti triumphum celebrandum compositurus erat. III 1, 158 'lacrimae pondera vocis habent'; cfr. supra am. III 8, 37 et fast. I 182 'dictaque pondus habent'. Am. III 4, 86 'tam vasta triumphi Pondera'. Ex Pont. III 9, 50 'musa mea ... incorrupti pondera testis habet'. Fast. I 82 'et nova ... pondera sentit ebur'. 534 'pondera caelesti mente paterna feret'. II 490 'caeli pondera movit Atlas', cfr. met. IX 273 'sensit Atlas pondus', ante cons. Fortasse proprie V 42 'fulmina ... pondera vasta'. Abl. plur. rem. 86 'ponderibus iustis fac sit utrumque triens'. Met. I 13 (tellus) 'ponderibus librata

suis', cfr. fast. V 13 'pondere terra suo subsedit'. Ablat. sing. et nom. vel acc. saepissime. Abl. velut trist. II 237 'tantarum pondere rerum'. Acc. vel nom. exempli causa: Sapph. 178 'mea non magnum corpora pondus habent', ante voc. Rem. 688 'aeternos pondus habere deos'. Singularis attributo cogente: Met. II 161 'lĕvĕ pondus erat'. Ib. 191 'revolūbĭlĕ pondus', ante voc. Am. III 7, 15 'inūtĭlĕ pondus' aliisque locis.

pontes. pps Propertius III 11, 63 'Coclitis abscissos testatur semita pontes'; de uno tantum ponte agi elucet ex Liv. II 10, 2 'pons sublicius iter paene hostibus dedit ni unus vir fuisset, Horatius Cocles: id monimentum illo die fortuna urbis Romae habuit'. Pluralis cum metri necessitate non flagitetur, a poeta ad sermonem distinguendum ab scriptorum oratione usurpatus esse mihi videtur. Non recte de hoc loco Rothsteinium in commentario iudicavisse puto, qui vir doctissimus plurali vim generalem inesse censet; exempla quoque quibus hanc sententiam firmat eadem cum licentia poetica in usum vocata esse non dubito quin contendam.

portae[1]). pps per analogiam vocis 'fores'. θύραι Homerus pluralem LXII locis, singularem novem l. habet. Plurativo numero primariam vocis notionem inesse Witte l. c. demonstravit. pps fortasse iam apud Ennium, cum Horatius sat. I 4, 60 versum commemorat quem in Ennii annalibus extitisse confirmat Porphyrio; qui versus talis est: 'postquam Discordia taetra Belli ferratos postis portasque refregit'; pluralis, qui nulla metrica causa cogente extat, propter concinnitatem adhibitus esse mihi videtur. Quod Ennii exemplum haud scio an Vergilio ante oculos fuerit cum dicit in Ae. I 293 'dirae ferro et compagibus artis Clauduntur Belli portae'; cfr. VII 607 'sunt gemini Belli portae', quarum custos Ianus est (610). De eadem re 617 'tristisque recludere portas'. 621 eodem sensu 'impulit ipsa manu portas et cardine verso Belli ferratos rumpit Saturnia postes'. Et hoc et antecedentibus locis non de compluribus 'Belli' portis cogitandum esse mihi videtur, sed de foribus unius portae (nimirum Iani templi). Ae. II 612 'Scaeas (ante cons.) . . . portas', nulla cogente causa. VI 574 'stridentes cardine sacrae Panduntur portae. Cernis costodia

1) Maas 498. Witte 22. 42. 71. 75. 141. 235.

qualis Vestibulo sedeat?', de ianuae foribus; pluralis fortasse verbi causa cum 'pāndĭtūr' ad hexametrum non quadret. 631 'conspicio .. adverso fornice portas', sc. domus Plutonis porta, ubi Aeneas 'dona' i. e. aureum ramum deponere iussus erat. pps fortasse etiam IX 309. 693 'portas praebere patentis', eodem sensu 695 'ruit ad portam'. Contra 757 'rumpere claustra manu sociosque immittere portis', versus sequens incipit a vocali. XI 499 'portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit'. Propertius et Tibullus pps non exhibent. Ovidius meo quidem iudicio semel tantum met. VI 597 'portasque refringit Germanamque rapit', sc. Philomelam, de ianuae foribus; forfasse etiam met. XV 583. 597.

portus[1]). pps inde a Vergilio ge. IV 390 'Emathiae portus patriamque revisit'; variandi causa pluralis extat. Ae. I 427 'hic portus‿alii effodiunt', de Carthaginis portu; pluralis ad elisionem evitandam. III 124 'linquimus Ortygiae portus', ante cons. 219 'delati portus‿intravimus'. 254 'ibitis Italiam portusque intrare licebit'. 289 'linquere ... portus iubeo', sc. Actii. 676 'genus .. Cyclopum .. ruit ad portus‿et litora complent', de uno tantum portu agitur. IV 87 de Carthaginis portu 'portusve aut propugnacula bello .. parant'; eodem sensu 588 'vacuos sensit sine remige portus'. 612 'si tangere portus‿Infandum caput', sc. Aeneae; versus sequens a vocali incipit. V 57 'portus delati intramus amicos', sc. Siciliae; et 24 'portusque Sicanos' et 32 'petunt portus‿et'; eodem sensu 612 'desertosque videt portus classemque relictam'. 813 'portus‿accedit Averni'; Cumarum portus intellegendus est; cfr. VI 2 'Cumarum adlabitur oris'. VI 366 'portusque require Velinos'. VII 22 'delati in portus', ante cons. (Circaeae terrae). IX 98 'portusque tenebunt Ausonios‿olim'. Ovidius am. II 9, 32 'carinam Tangentem portus ventus in alta rapit'. Epist. II 92 'cum premeret portus classis itura meos'. VI 142 'intrasses portus tuque ... meos', sc. portum insulae Lemni. XV 26 Venus 'deferat in portus‿et mea vota suos'. X 115 'ibis Cecropios portus', ante cons. XVII 198 'et teneant portus naufraga membra (sc. Leandri) tuos'. A. a. III 748 'tangat portus fessa carina suos', fortasse generaliter. Met. III 634 'quos contingere

1) Braumueller I 12.

portus Ede velis . . . terra sistere petita'. VI 445 'portus Cecropios intrat Piraeaque litora tangit'. VII 58 'victor Iolciacos tetigit cum coniuge portus'. 492 'in portusque intrat amicos'. VIII 5 'ante exspectatum portus tenuere petitos', de uno portu. XIII 711 'Dulichios portus Ithacam'. XV 690 'tendit ad incurvo munitos aggere portus'. XIV 232 'Aeoliique ratem portus repetisse tyranni'. Trist. I 10, 18 'venimus ad portus, Imbria terra, tuos'. 37 'inde Mesembriacos portus', ante voc. IV 5, 5 'portus aperire fideles . . . confugiumque rati'. Abl. plur. pro singulari Epist. XV 127 'portubus egredior'. Met. XI 474 'portibus exierant'.

praeconia[1]). Pluralis primum apud Tibullum invenitur P 177 'tantae praeconia laudis', i. V. p. Ovidius non nisi pluraliter hoc vocabulo utitur. Am. III 12, 9 'formae praeconia', i. V. p. Inverso verborum ordine a. a. I 623 et III 535. Epist. XVI 207 'praeconia famae', i. V. p. Met. XII 573 'num videor debere tui praeconia rebus Herculis', i. V. p. Trist. I 6, 35 'quantumcumque .. praeconia nostra valebunt, Carminibus vives', 'nostra' i. e. mea. IV 9, 19 'nostra per immensas ibunt praeconia gentes'. V 1, 9 'perago praeconia casus'. Pont. I 1, 55 'talia caelestes fieri praeconia gaudent'. III 1, 45 'sint praeconia nostra Vera'. IV 8, 45 'carmina . . . peragunt praeconia laudum'.

praemia[2]). Catullus 66, 86 'praemia nulla'; sed pluralem poeticum exhibet 64, 157 'talia qui reddis pro dulci praemia vitae', verba Ariadnae quae a Theseo relicta erat, cfr. v. 132 sqq. Fortasse pps etiam 102 'aut mortem appeteret Theseus aut praemia laudis', cum sing. 'mortem' et plural. 'praemia' opponantur. Vergilius ge. III 49 'seu quis Olympiacae miratus praemia palmae', i. V. p. Ae. V 70 'meritaeque exspectant praemia palmae'. V 346 'qui subiit palmae frustraque ad praemia venit Ultima', de certaminis praemio; de eadem re 353 'si tanta .. sunt praemia victis'. XI 857 'huc periture veni, capias ut digna Camillae Praemia'. XII 360 'Hesperiam metiere iacens: haec praemia', i. V. p. Pluralis saepe proprio sensu invenitur. Tibullus I 2, 26 'rapta praemia veste petat'. Proprio sensu II 5, 115 'praemia belli'; cfr. Ovid. am. I 15, 4

1) Appel 21. Bednara 547.
2) Spitta 13. Braumueller I 12. 33. Appel 20. 21. 63. Bednara 547.

'praemia militiae'. Ovidius pps epist. XV 19 'praemia magna quidem sed non indebita posco: Pollicita est thalamo te (sc. Helenam) Cytherea meo'. 265 'Schoeneida praemia cursus', i. e. Atalanta. 374 'pro tanta sumere ferrum Coniuge: certamen praemia magna movent', de Helena. VII 114 'sceleris tanti praemia frater habet', Didonis frater Sychaeo marito interfecto regnum tenebat. XIV 84 'raptamque capillis — haec meruit pietas praemia — carcer habet', sc. Hypermnestram. XVI 132 'me visam praemia summa tibi', 'me' i. e. Helenam. A. a. I 68 'mala praemia formae', cfr. 687 sqq.; de Helena quaestio est. Verba 'mala praemia' spectant ad bellum quod Helena rapta ortum est. II 702 'praemia digna feres'. Epist. XVII 165 'ad sua praemia tendunt', Leander bracchia nando defessa quasi adhortatur eo quod praemia vel 'pretium non vile laboris' (163) 'dominae colla' promittunt. Met. II 694 'nitidam cape praemia vaccam'. IV 757 'Andromedan .. tanti praemia facti In dotata rapit'; de eadem V 25 'praemiaque eripias', i. I. p. VI 518 'spectat sua praemia raptor', 'praemia' i. e. Philomela. VIII 503 'cape praemia facti', i. e. 'redde animam' (505). Simili sensu 767 'mentis . . . piae cape praemia', cfr. 768. 850 'raptae praemia nobis Virginitatis habes'. IX 257 'data praemia nolet', verba Iovis qui se Herculem defunctum in caelum recepturum esse deis pronuntiat, cfr. 254. X 581 'nondum mihi praemia nota Quae peteretis, erant', de Atalanta quae in matrimonium a multis iuvenibus poscebatur; de eadem, quam victor uxorem ducit 680 'duxit sua praemia victor'. XII 473 'quo praemia facto Quaque viri falsam speciem mercede pararis?' Caeneus qui cum etiam erat puella a Neptuno compressus ob hanc iniuriam a deo assecutus est ut in virum mutaretur. XIII 16 'praemia magna', de Achillis armis cfr. eodem sensu v. 19 'pretium' et 41 'donis' et 593 'praemia'. XIV 810 (Martis verba) 'praemia quae promissa mihi dignoque nepoti', i. e. Romulum 'ablatum terris imponere caelo' (812). Trist. III 11, 50 'ut munus munere penses Da . . . ingenio praemia digna meo'. V 7, 68 'praemia si studio consequar ista, sat est', i. e. 'miserarum oblivia rerum' (67). ex Pont. III 3, 43 'praemia nec Chiron ab Achille talia cepit', qualia ego (poeta) ab Augusto accepi, nimirum 'exilium', cfr. v. 39. Fast. II 422 'magna dati nutrix praemia lactis habet', cfr. 421. III 392 'pro-

missa .. praemia persolvunt', cfr. 389—391. 744 'inventi praemia mellis habet'. IV 590 'commissi praemia raptor habet', i. e. Pluto habet Proserpinam (591). V 114 illa (sc. Capella) 'dati caelum praemia lactis habet'. 204 'Boreas .. ausus Erechthea praemia ferre domo', Boreas rapuit Orithyiam Erechthei filiam; cfr. de hac re met. VI 675 sqq. V 544 'meriti praemia, dixit habe', cfr. 541—543. Dubitari potest de hisce locis utrum pluralis poetica cum licentia an proprio sensu intellegéndus sit: Met. VIII 92 Scyllae verba 'praemia nulla peto nisi te', similiter 105. Ex Pont. II 3, 13 'recte facti si praemia desint'.

proelia[1]). pps primus Vergilius sibi permisit. Ge. IV 314 'prima leves ineunt siquando proelia Parthi'. Ae. II 334 'primi proelia temptant', de Graecorum Troianorumque pugna quae orta est cum Graeci nocte clam revertissent; item 347 'audere in proelia vidi' et 397 cum numerali 'multa'; contra sine numerali de pugna illa 669 'instaurata revisam Proelia'. III 240 'nova proelia temptant', de Harpyiis superandis quaestio est, quod e versu sequenti elucet: 'obscenas pelagi ferro foedare volucres'. V 375 'talis prima Dares caput altum in proelia tollit', de certamine gymnico agitur, cfr. 365 'pugnae proponit honorem' eodem sensu; item 467 'proelia voce diremit' et 593 de certamine equestri 'texunt fugas et proelia ludo'. VIII 614 'in proelia poscere Turnum'. IX 463 'Turnus .. aeratasque acies in proelia cogit', i. e. ad Troianorum castra expugnanda. Simili sensu 499 'torpent ad proelia vires', de Troianorum Rutulorumque certamine X 23 'proelia miscent Aggeribus'. 455 'meditantem in proelia taurum'. 661 'Aeneas absentem (sc. Turnum) in proelia poscit'. 901 'ad proelia veni', item de certamine illo. XI 520 'Messapum in proelia dictis Hortatur'. 727 'Tarchonem in proelia saeva Suscitat', de certamine Veneli et Tarchonis; de eadem re 731 'reficitque (sc. Tarchon) in proelia pulsos'. 631 'tertia .. congressi in proelia', i. V. p. 912 'ineant pugnas et proelia temptant', de uno Turni Aeneaeque certamine. XII 337 'media inter proelia Turnus'; de eadem pugna 336 'media Eumenides in proelia fertur', et 526 'Aeneas Turnusque ruunt per proelia'. 570 'libeat dum proelia Turno Nostra pati'. 581 'iterum se ad proelia cogi'. 628 'Aeneas ... proelia miscet'.

1) Braumueller I 13. Keller 206. Appel 21. Bednara 547.

716 'cum duo .. inimica in proelia tauri .. incurrunt'. 735 'cum prima in proelia iunctos Conscendebat equos'. 812 'traheremque inimica in proelia Teucros'. Generaliter VII 335. 603. VIII 678. XI 486. XII 103. Ovidius pps epist. XVII 38 'quid mecum certa proelia mente geris?' Boreas ventus cum Leandro natanti. XXI 54 'pace movetis Aspera submota proelia'; de eadem re 37 'certamine vestro'[1]). Met. V 156 'renovataque proelia miscet', Persei Phineique certamen de Andromeda factum. 307 'committit proelia voce', de Pieridum Musarumque certamine, cfr. eodem sensu 337 'dedimus summam certaminis uni'. XII 68 'commissaque proelia magno Stant Danais'; certamen Hectoris Protesilaique intellegendum est, in quo hic cecidit (67). XIII 82 'Hetor adest secumque deos in proelia ducit'. XIV 545 aequor Astraei turbant et eunt in proelia fratres'. 671 'Lapitheia movit Proelia'. A. a. II 175 'proelia cum Parthis' i. I. p. Trist. I 2, 30 'nunc Notus adversa proelia fronte gerit'. Fast. I 569 'prima movet Cacus collata proelia dextra'.

promissa[2]). pps inde a Vergilio Ae. V 386 'reddique viro promissa iubebant', sc. taurum. VIII 531 'agnovit sonitum et divae promissa parentis', sc. Veneris; cfr. de eadem re 534 'hoc signum cecinit missuram diva creatrix'. XI 45 'non haec ... promissa parenti ... dederam'; cfr. v. 42 sqq. 152 'non haec, o Palla, dederas promissa parenti'; cfr. 54 et 153. XII 2 'sua nunc promissa reposci', sc. Turnus se cum Aenea certaturum esse solum promiserat (cfr. XI 438—444). Ovidius nescio an am. I 7, 15 pps intellegendus sit 'promissaque velaque Thesei Flevit', sc. Ariadne cui Theseus se eam uxorem domum ducturum esse promiserat. pps met. II 51 'utinam promissa liceret Non dare'; verba Iovis, qui Phaethonti dixerat (44) 'quodvis pete munus ut illud me tribuente feras'. VII 94 'servatus promissa dato', verba Medeae cui Iason se eam uxorem facturum esse pollicitus erat; cfr. 91 'promisitque torum'. M. X 430 'promissaque numine firmat'; nutrix quae Myrrhae amorem patris promiserat; cfr. v. 429 'potiere tuo .. parente'. XV 18 'aevo nepotum Hic locus urbis erit, promissaque vera fuerunt'. Ib. 243 'Clotho iussit promissa valere', cfr. 241—242. Dat. vel abl. plur. pro sing. positus est met. II 45 'promissis testis adesto'; eodem sensu ac supra II 51. XI 454 'his ubi

1) Cfr. Burmanni editionem primam. — 2) Appel 25.

promissis' (ante cons.). Ceyx uxori Halcyonae cum ad oraculum Apollinis Miletum profecturus erat, intra alterum mensem se reversurum esse promisit, cfr. v. 453. Fast. III 355 'promissaque tarda videntur', cfr. 351/54. V 504 'parent promissis', ante cons., cfr. 502 'hospitibus ianua nostra patet'. Nom. vel acc. poetas ad syllaborum brevium numerum augendum adhibuisse constat. Abl. vel dat. plur., cum non nisi ante cons. exhibitus sit, metri necessitate non postulari, sed nonnumquam euphoniae gratia usurpatum esse dicimus.

pūlpĭtă[1]). Terentius non nisi singulariter. pps Horatius a. p. 215 'traxitque vagus per pulpita vestem'. 279 'Aeschylus . . instravit pulpita tignis'. Propertius IV I, 16 'pulpita', i. V. p. Ovidius a. a. I 104 'nec fuerant liquido pulpita rubra croco'.

pyrethra[2]) — πύρεθρον. Ovidius primum pluralem sibi concessit semel: a. a. II 418 'tritaque in annoso flava pyrethra mero'.

recessus. pps Vergilius Ae. XI 527 'in vertice montis Planities ignota iacet tutique recessus'. 'tuti recess'. vernacule sic reddi possunt: 'ein sicherer Aufenthaltsort'.

recursus. pps Ovidius epist. VI 59 'dent modo fata recursus', quae verba Iason facit cum ad vellus aureum rapiendum navem conscendit. Met. VI 450 'celeres missae spondere recursus', fortasse ad evitandam repetitionem **m** litterae. IX 594 'neque habent mea vela recursus'.

reditus. pps inde a Vergilio, qui de Graecorum reditu dicit Ae. II 118 'sanguine quaerendi reditus'. Similiter X 436 'Fortuna negaret In patriam reditus', ante voc. ad elisionem evitandam. XI 54 'nati (sc. Pallantis) funus crudele videbis! Hi nostri reditus exspectatique triumphi?', pluralis — nulla causa metrica cogente — euphoniae gratia aut ad sermonem a vulgari dictione distinguendum. Cul. 320 'eriperet reditus', ante voc. Tibullus pps I 3, 13 Deliae quae 'sacras sortes' de amati reditu consuluit, secundum responsum refertur: 'cuncta dabant reditus', ante cons., ergo nulla cogente causa. Ovidius pps epist. III 67 'si tibi iam reditusque placent patrii-

1) Appel 97. Bednara 547.

2) Weise l. c. 142. 506. Bednara 547.

que penates', plur. fortasse propter verba sequentia 'patr. penat.', concinnitatis causa. X 103 fila 'quae reditus monstrarent', sc. Theseo ex Labyrintho. Singularis 'reditum monstrarent' aures offendit. XIII 159 'per reditus corpusque tuum'. Met. XI 576 'reditusque sibi promittit inanes'. Ex Pont. II 3, 17 'at reditus iam quisque suos‿amat'. IV 5, 19 'aut populi reditus positam componet ad hastam', ad m litterae repetitionem evitandam; sed fortasse plurali hoc loco inest vis generalis. IV 9, 45 ad hiatum evitandum 'nunc longi reditus‿hastae supponere lustri'. Fast. I 2, 79 'ut populo reditus pateant ad bella profecto', propter verbum 'pateant', cuius singularem ante vocalem versus non patitur.

regna[1]). pps inde ab Ennio A. 141 'Marcus quam regna recepit', i. V. p. Vergilius pps ecl. I 69 'mea regna videns', Meliboei verba qui ex sede patria — i. e. 'mea regna' — expulsus est eo tempore quo Octavianus militibus veteranis agros designabat. Ecl. VI 41 'Saturnia regna'. Ge. I 124 agricola de agris suis dicit 'sua regna', i. V. p. Ge. III 228 equus 'stabula aspectans regnis‿excessit avitis', ad synaloepham evitandam. Ge. IV 363 Cyrenes domicilium intellegendum est 'domum mirans genetricis et umida regna'. Ae. I 206 'regna resurgere Troiae'. 244 'regna Liburnorum', i. I. p. 338 'Punica regna vides', i. I. p. 346 'regna Tyri'. 504 'Dido ... se laeta ferebat Per medios instans operi regnisque futuris', plur. nulla cogente causa. Item de Carthagine 572 'voltis .. his mecum .. considere regnis'. Nescio an pluralis quia versus sequens a vocali incipit, ad hiatum evitandum sit positus? 620 de Teucro qui cum mortem fratris Aiantis non prohibuerit Troia deleta domum reversus a patre expulsus oraculo Delphico consulto novam petivit patriam: 'nova regna petentem', dicit Vergilius de illo. II 22 'Priami dum regna manebant', eadem fere verba 455. 543 item de Troia 'mea regna' i. V. p. III 106 de Creta 'uberrima regna'. 115 'Gnosia regna petamus'. 121 'pulsum regnis cessisse paternis‿Idomenea', de Creta agitur; versus sequens a vocali incipit. 185 'saepe Hesperiam, saepe Itala regna vocare'. 272 'scopulos Ithacae, Laertia regna'. IV 47 'quam ... urbem ...

1) Spitta 29. Braumueller I 12. Keller 200. 206. Appel 16. Landgraf 70. Bednara 547. Frobenius 7.

cernes quae surgere regna', de Carthagine. 199 'templa ... latis‿immania regnis', Iarbae Gaetulorum principis regnum intellegendum est; pluralis attributi causa ad synaloeph. evidant. 214 de Carthagine 'Aeneam in regna recepit', i. V. p. 350 fortasse generaliter, cum de oraculi iusso agatur. Aeneae sunt verba: 'nos fas extera quaerere regna'. 381 'sequere Italiam ... pete regna per undas'. 591 'nostris inluserit advena (sc. Aeneas) regnis', Didonis verba. V 656 'fatisque vocantia regna', Italia intellegenda est, quod Troianis regnum promissum erat. 792 'in regnis‿hoc ausa tuis', Neptuni regnum intellegitur. Plur. ad hiatum evitandum. Simili de causa plur. de eadem re 800 'meis te fidere regnis', plur. fortasse quia versus sequens a vocali incipit. VI 14 'Minoia regna'. 67 'non indebita posco Regna', quae paerentheseos verba sequentibus interpretantur, videlicet his 'Latio considere Teucros'. 84 'regna Lavini'. 154 'lucos Stygis et regna invia vivis', eodem sensu 269 'domos Ditis ... et inania regna', et 417 'Cerberus haec ... latratu regna trifauci Personat'. 566 'Gnosius haec ... habet durissima regna'. 584 'superisque Iovem detrudere regnis', pluralis nulla causa cogente. 694 'Libyae tibi regna nocerent', Carthago intellegitur. 798 'Caspia regna'. VII 217 'pulsi regnis quae maxima quondam', plur. attributi causa, i. V. p. Troia intellegenda est. 256 'in regna vocari', de Latini regno; itemque 313 'regnis‿esto prohibere Latinis‿Atque'; ad synaloephas evitand.; et 578 'Teucrós in regna vocari'. 735 'Teleboum Capreas cum regna teneret'. VIII 157 'Hesionae visentem (sc. Priamum) regna sororis'. 244 'regna recludat Pallida dis invisa', de Ditis regno. 320 'regnis‿exsul ademptis', sc. Saturnus qui 'ab aetherio venit Olympo' expulsus. 471 'res ... Troiae victas et regna fatebor'. 507 'Tyrrhenaque regna capessam'. XI 43 (Aeneae verba) 'ne regna videres Nostra'. 252 'Saturnia regna'. 264 'regna Neoptolemi', i. I. p. 322 'sociosque in regna vocemus'. 461 'illi armis in regna (sc. Latium) ruunt'. XII 22 'sunt ... regna patris Dauni ... capta'. 186 'ferrove haec regna lacessent', de Latio, generaliter 190. 568 'regna ipsa Latini'. Cul. 273 'nec maesta obtenta Ditis ferrugine regna'. Aet. 78 'Ditis pallantia regna', cfr. de eadem re 205 'neu Ditem regni pudeat'. Cir. 464 'magni florentia regna Corinthi'. Genetivum pluralis poetica cum licentia adhibitum duobus tantum locis apud Vergilium

inveni: Ae. III 333 'regnorum reddita cessit Pars Heleno'; et XII 545 'Priami regnorum eversor Achilles'. Tibullus pps I 9, 80 'me ... puer alter habebit Et geret in regno regna superba tuo'. III 7, 143 'regna vago Tamyris finivit Araxe'. 198 'regna Lydia'. Lyd. V 22 'duraque sortiti tertia regna dei', de Plutonis regno. Propertius I 8, 32 fortasse generaliter. pps II 1, 23 'regnave prima Remi', i. I. p. 16, 28 'felix ... mea regna tenet'. II 28, 54 'Priami diruta regna senis'. 32, 52 'mos Saturno regna tenente fuit', post pentam. caes. III 10, 18 'inque meum ... stent tua regna caput', videl. puellae reg. 11, 32 'addictos in sua regna patres', de Cleopatrae regno. III 13, 52 'intonsi Pythia regna dei'. III 19, 22 'tondes (sc. Scylla) ... regna paterna coma'. IV 1, 10 'unus erat fratrum maxima regna focus'. 7, 6 'lecti frigida regna mei'. 10, 27 'heu Vei veteres! et vos tum regna fuistis'. 11, 30 'Afra Numantinos regna loquuntur avos', attributum i. I. p., subst. p. pent. caes. Ovidius pps am. II 9, 52 'indeserta meo pectore regna gere', cfr. v. 52 de eadem re singularem. III 8, 35 'at cum regna senex caeli Saturnus haberet'. 50 'caelum, tertia regna, petis'. Epist. I 106 'Laertes ... regna tenere potest'. II 111 'latissima regna Lycurgi'. IV 107 'Pittheia regna'; in pentametri commissura. 122 'caperes regna paterna (sc. Thesei) nothus'. 132 'rustica Saturno regna tenente fuit', attributum i. I. p., subst. p. pent. caes. VI 5 'praeter mea (sc. Hypsipylae) regna redires'. VII 10 'Itala regna sequi'. 90 'regna dedi', sc. Carthaginis. VIII 118 'sua regna', i. V. p., eodem versus loco XI 16 'regna minora'. XII 24 'patriae regna beata meae'. XIV 61 'patruelia regna', i. V. p. XV 81 i. I. p. 'regna Iovis coniunx' (Paridi promisit) i. I. p.; cfr. XVI 117 ubi de eadem re extat 'regnum', idem 135 (in versus fine). 165 'proposui regnis‿ego te', ad synaloeph. evitand. 299 'Cresia regna', i. V. p. 322 'mea regna petas', sc. Paridis. A. a. III 118 'Tatio regna tenente fuit', p. pent. caes. Rem. 15 'regna puellae'. Met. I 61 'Nabataeaque regna recessit'. IV 511 'ad inania magni Regna redit Ditis'. VII 38 'regna parentis', sc. Minois. 461 'Astypaleia regna'. 462 'regna Astypaleia bello', i V. p. 472 'Aiacideia regna'. IX 18 'tua regna', i. V. p. 232 'regnaque ... Troiana', i. I. et V. p. 445 'credensque suis‿insurgere regnis'. X 15 'inamoenaque regna tenentem', sc. Plutonem; itemque 35 'longissima regna tenentis'.

XI 284 'inhospita regna tenemus' (Trachinius). XIII 516 'proavitaque regna tenentem', sc. Troiae regnum. 649 'locumque et regna tenentem'. XIV 111 'regna novissima mundi', de inferorum sedibus. 512 'Calydonia regna'. 774 'Numitor amissa nepotum Munere regna capit'. Trist. II 19 'Teuthrantia regna tenenti'. IV 4, 66 'nec cupienda bonis Regna Thoantis erant'. Ib. 327 'Phylaceia regna tenentem'. 345 'Rhodopeia regna tenenti'. Pont. III 2, 59 'regna Thoans habuit', i. I. p. III 3, 35 'cano tua regna tuaeque parentis', sc. Amoris. IV 8, 59 'adfectantes caelestia regna Gigantes'. Fast. II 384 'patruo regna tenente suo', sc. patruo Silviae. 687 'ultima Tarquinius Romanae gentis habebat Regna'. 852 'dies regnis‿illa suprema fuit', sc. Tarquinii regno. III 68 'regnaque longaevo restituuntur avo', sc. Numitori. IV 52 'tradita regna Procae'; cfr. de eadem re v. 47 'regnum'. 92 (Venus) 'tenet nullo regna minora deo'. 289 'Sardoaque regna', i. V. p. 446 de Plutonis regno i. I. p. 'regnaque'. 585 de eadem re 'tertia regna tenet'. V 261 mea regna coronis Esse putes? V 461 'si volucres habuissem regna iubentes', Remi verba. VI 500 'per sua regna ferunt', Panope ceteraeque nymphae; 'regna' i. e. mare.

r i p a e. Ubi una tantum ripa intellegenda est, p p s primum V e r g i l i u s in Ae. VI 306, quo loco de Acherontis ripa dicit 'huc omnis turba ad ripas‿effusa ruebat'. Eodem sensu legis 314 'tendebantque manus ripae ulterioris amore'. Priore loco plurali elisio evitatur; et 319 sequitur iterum pluralis qui eodem modo intellegendus mihi videtur esse: 'quo discrimine ripas‿Hae linquunt'. Poetam plurativo numero posito hiatum vitare arbitror. 327 plurali elisio evitatur: 'nec ripas datur horrendas‿et'. Contra 712 pluralis extat pro singulari nulla cogente causa: 'quive viri ... complerint agmine ripas'; itemque IX 118 'puppes abrumpunt vincula ripis'. T i b u l l u s p p s II 5, 54 'cupidi ad ripas‿arma relicta dei'; ad synaloeph. evitand. O v i d i u s pluralem ponit ubi singularis suffecisset: met. I 639 'venit et ad ripas‿ubi'. Epist. IX 139 'cornua ... legit ripis‿Achelous in udis'. Fast. III 651 'ventum erat ad ripas:‿inerant vestigia ripis', ad elisionem evitand. VI 340 'asellum Liquerat ad ripas‿lene sonantis aquae', plur. fortasse positus est ad m et l litterarum conlisionem evitandam.

rogi[1]). pps inde a Vergilio qui eum primum adhibuit Ae. IV 646 de rogo quem Dido sibi exstruxerat: 'conscendit furibunda rogos‿ensemque recludit', videlicet ad elisionem evitandam. De eadem re antecedit singul. 640 'rogum' ante cons. et sequitur 676 'hic rogus iste mihi'. Qua in re Vergilium videtur secutus esse Propertius qui de Herculis rogo dicit I 13, 24 'amor Herculis .. sentit ab Oetaeis gaudia prima rogis'; nulla cogente causa. Itemque II 8, 20 'exagitet nostros Manes .. insultetque rogis'. IV 7, 2 'luridaque evictos‿effugit umbra rogos' (sed fortasse generaliter dictum). 31 'cur ventos non ipse rogis,‿ingrate, petistis', ad synaloepham evitandam; cfr. eodem sensu 48 abl. sing. ante cons. Ovidius pps am. III 9, 28 de Tibulli rogo agi elucet e v. 6, ubi de eadem re extat abl. sing. ante cons.: 'defugiunt avidos carmina sola rogos'; qui versus fortasse generali cum notione accipi potest. Itemque nulla cogente causa de Tibulli rogo 54 'nec solos destituere rogos'. Epist. VII 193 'nec consumpta rogis‿inscribar Elissa Sychaei', ad elisionem evitandam; eadem de causa XIV 126 'corpora (sc. Hypermnestrae) furtivis‿insuper adde rogis‿Et', et attributi causa et quia singulari posito inter pentametrum et hexametrum sequentem — qui versus inter se cohaerent — hiatus efficeretur. Contra Sapph. 116 pps nulla cogente causa 'portet ad exstructos corpus inane rogos', sc. mater filium mortuum. A. a. II 120 'solus ad extremos permanet ille rogos'. III 22 'Iphias in medios desiluitque rogos'; versus sequens a vocali incipit. Trist. I 7, 20 'imposui rapidis viscera nostra rogis'. III 3, 60 'effugiatque avidos pars mihi nulla rogos'. III 7, 54 'fuge venturos qua potes usque rogos'. III 13, 22 'mihi .. convenit .. structis flamma parata rogis'. V 14, 6 poeta de uxore 'nec potes in maestos‿omnis abire rogos', ad elisionem evitandam. 38 'ausaque in accensos‿Iphias ire rogos'. Ex Pont. I 9, 48 'tuis toto dividor orbe rogis', pluralis ut supra saepius nulla cogente causa, nisi forte putas hoc loco pluralem adhibitum esse ad o litterae repetitionem evitandam. III 1, 112 'tibi .. volenti Corpus in accensos mittere forte rogos', quae verba ad poetae coniugem referuntur. Fast. III 546 Dido 'arserat exstructis‿in sua fata rogis'. VI 492 'dederat miseris‿omnia iusta rogis', sc. mater Learchum. In nominativo pps non adhibetur.

1) Maas 525 n. 2.

rosae[1]). Pluralem primum Lucretius exhibuisse videtur in versus fine genetivum, qui perbene ibi immitti poterat: II 627; quem secutus Vergilius semel tantum plur. sibi permittit ge. IV 268 'arentisque rosas‿aut', videlicet ad elisionem evitandam. Aliis locis utitur singulari quamquam coniunctus est cum pluralibus eiusdem generis: velut Copa 14 'purpureā lutea mixta rosā', praecedit pluralis 'violae' et 'purpureis ... rosis' versus patitur. Idem iudicandum est de Ae. XII 68 'mixta rubent ubi lilia multā Alba rosā'; itemque Hor. carm. I 5, 1 'quis multa gracilis te puer in rosa', contra gen. plur. carm. III 29, 3 'cum flore, Maecenas, rŏsārūm‿et'. Tibullus abl. plur. exhibet I 3, 63 'floret odoratis terra benigna rosis'. Ovidius am. I 2, 40 'adpositas spargebat in ora rosas', nulla cogente causa extat pluralis. Contra II 5, 37 'quālĕ rŏsāe fulgent', ubi singularem 'rŏsă' metrum non patitur. Med. 96 'expensas cum sale tura rosas', nulla cogente causa, antecedit 93 gen. sing. Contra a. a. II 528 'demptas‿in fore pone rosas', plurali elisio evitatur. III 182 'albentesve rosas' (ante cons.) concinnitatis causa; praecedunt verba 'myrtos ... amethystos'. Etiam euphoniae gratia, cum plurali repetitio litterae **m** quae aures non delectat, evitetur; sequuntur enim in eodem versu haec verba 'Threiciamve gruem'. Ex Pont. II 1, 36 'saxaque roratis‿erubuisse rosis', ad elisionem evitandam; itemque fast. V 194 'vernas efflat .. rosas'. 354 'cum cecidere rosae'. Gen. plur. in hexametro exeunti met. II 113 'plena rosarum Atria'. Singularis nonnumquam a metro poscitur attributi causa velut fast. IV 441 'plūrĭmă lecta rosa est', ubi pluralis 'plūrĭmāē' ad versum non quadrat.

rubi[2]). Sing. Vergilius in ecl. III 89, plur. Ovidius med. 4 'mordaces interiere rubi'. Ex Pont. IV 4, 4 'mixta fere duris‿utilis herba rubis', ad synaloepham evitand. Calp. ecl. IV 31 'fraga rubosque'.

saecula[3]). pps inde a Vergilio Ae. VI 792 'aurea condet Saecula', attrib. i. V. p. et subst. i. I. p. Tibullus de suo tempore I 4, 57 'artes miseras haec saecula tractant'. II 3, 35 'ferrea non Venerem sed praedam saecula laudant'.

---

1) Maas 525. Neue cfr. indicem. Bednara 538. Braumueller I 17
2) Neue I 699.
3) Bednara 548.

Ovidius a. a. II 277 'aurea sunt vere nunc saecula'. Med. 24 de suo tempore dicit poeta i. V. p. 'nostra saecula'; itemque ex Pont. III 1, 116 et trist. IV 10, 125; sed eodem sensu gen. sing. ex Pont. II 8, 125 'saecli decus indelebile nostri'; item de sua aetate trist. I 2, 103 'hoc duce (sc. Augusti) si dixi felicia saecula', i. V. p. et fast. I 191 'te fallunt tua saecula dixi'. Ex Pont. III 3, 81 'post saecula longa revisam'.

sapores [1]). Pluralis primum apud Lucretium extat qui utroque numero promiscue utitur. IV 706 'in odoribus atque saporum In generest', propter concinnitatem. Singularis 'sapori' II 511 in sexto pede. Vergilius pluralem semel exhibet ge. IV 62 'tusos‿asperge sapores', ad elisionem evitandam. Ceteris locis obviam fit singularis velut ge. IV 102 'saporem' in sexto pede; eodem versus loco 267 et ge. II 126 et III 397. Nom. sing. ge. II 477. Tibullus bis pluralem usurpat I 7, 35 'sapores' in VI. p., versus sequens a vocali incipit; et III 10, 9 eodem versus loco quamquam cons. sequitur (qui locus deest apud Neuium). Ovidius singulari tantum utitur.

scamna [2]). Pluralis primum apud Ennium occurrit sensu translato in A 96 'auspicio regni stabilita scamna solumque'. pps Ovidius a. a. I 162 'et cava sub tenerum scamna dedisse pedem', sc. puellae. Contra sing. 'scamnum' a. a. II 211.

sceptra [3]). Apud Graecos pps vocis σκῆπτρον inde ab Aeschylo invenitur; quorum ad exempla spectavit Accius qui in trag. frg. 3 plurali utitur pro singulari 'sceptra iam flaccent'. In dactylicorum poetarum carminibus pps primum apud Lucretium obvius est III 1038 'quorum unus Homerus Sceptra potitus'. Deinde Vergilius Ae. I 57 Aeolus 'sceptra tenens', i. I. p. Ladewigus in commentario pluralem ad maiestatem designandam adhibitum esse adnotat. Item de Aeoli sceptro pps 78 'sceptra', i. V. p. 253 Veneris verba 'hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis', i. V. p. III 597 'tum decuit cum sceptra dabas', sc. Dido Aeneae. VII 173 'hic sceptra accipere et primos attollere fasces Regibus omen erat'. 252 'nec sceptra movent Priameia tantum'. 422 'et tua Dardaniis transcribi

1) Neue I 650.
2) Bednara 548.
3) Spitta 19. Appel 24. 26. Bednara 548. Witte 54. 56. 57.

sceptra colonis', attrib. i. I. p., subst. i. V. p. IX 9 'sceptra Palatini', i. I. p. Abl. vel dat. plur. saepius nulla cogente causa: III 296 'Helenum ... Pyrrhi sceptrisque potitum'; item VII 369 'sceptris terram quae libera nostris Dissidet'; et IX 267 'capere Italiam sceptrisque potiri', et X 852 'sceptrisque paternis'. Contra XI 238 ad hiatum evitandum 'primus sceptris haud laeta fronte Latinus'. Propertius pps semel IV 6, 58 'sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas', sc. Cleopatrae; substantivum i. I. p. et attributum p. pent. caes. Ovidius am. II 18, 13 'sceptra tamen sumpsi', i. I. p.; et 16 'sceptraque .. sumpta manu', subst. i. I. p., attrib. i. V. p. Epist. V 86 'sunt mihi quae possint sceptra decere, manus'. VII 152 'sceptraque sacra tene', sc. Aeneas. XV 177 'sceptra parens Asiae', i. I. p., sc. Paridis. XVI 61 'sceptra tuae .. potentia terrae'. Met. I 596 'qui caelestia magna Sceptra manu teneo', sc. Iuppiter. III 265 'me gemmantia dextra Sceptra tenere decet', attrib. i. V. p., subst. i. I. p. VI 677 'sceptra loci ... capit ... Erechtheus', i. I. p. XI 560 'manu qua sceptra solebat'. Ex Pont. I 8, 22 'honorata sceptra tenere manu'. III 2, 61 'sceptra tenente illo', i. I. p., sc. Thoante. Fast. II 432 'illo (sc. Romulo) sceptra tenente fuit', p. pent. caes. IV 265 'Phrygiae tunc sceptra tenebat Attalus'. 594 'te sceptra tenente tuli', sc. Iove. V 46 'sceptra tenenda Iovi'. VI 38 'aurea cur dextrae sceptra dedere manu', sc. Iunonis; attrib. i. I. p., subst. p. pent. caes. Abl. plur. pro sing. ponitur ad hiatum evitandum. Fast. IV 198 'a nato sceptris‿excutiere tuis'. Fast. VI 506 'Euandrum sceptra tenere loci'. 600 'sceptra gener socro rapta Superbus habet'. 782 'ex humili sceptra tulisse loco', sc. Servius. Rem. 480 'est aliquid valida sceptra tenere manu'.

scripta[1]). pps inde a Catullo qui XXXVI 7 de Volusi annalibus dicit 'scripta'; et XLIV 18 de oratione Sesti 'nefaria scripta'; cfr. de eadem re 21 'malum librum legi'. Postea pps obviam fit apud Ovidium qui de epistula quam ad Phaedram Hippolytus mittit, am. II 18, 30 dicit 'legit ab Hippolyto scripta noverca suo', p. pent. caes. Item de una tantum epistula epist. XX 212 'iaculo scriptis‿eminus icta tuis', ad elisionem evitandam; item ex Pont. I 3, 30 'quod tua fecerunt scripta', i. I, p. et p. pent. caes.

1) Bednara 548.

scuta[1]). Pluralis inter complures sing. poeticos primum ab Ennio in usum vocatur euphoniae causa A 183 ad o litterarum cumulatam repetitionem evitandam: 'proletarius ... scutisque ferroque ornatur ferro, muros urbemque forumque'. Poetae dactylici usque ad Ovidium plurali non nisi proprio sensu usi sunt. Ovidius semel pps sibi concessit am. III 8, 16 'laeva manus .. Scuta tulit', i. I. p.

sedes[2]). Cuius vocis numerus plurativus cum persaepe etiam a Cicerone in usum vocetur ubi de uno tantum domo agi elucet, nihil miri praebet quod poetae eodem modo hoc vocabulo utuntur.

secreta. pps primum apud Vergilium obvius esse mihi videtur in Ae. VI 10 'horrendaque procul secreta Sibyllae Antrum immane'. VIII 463 'hospitis Aeneae sedem et secreta petebat'. Ge. IV 403 pecora 'in secreta senis ducam'. Ovidius pps hisce locis: rem. 581 'non tibi secretis‿(augent secreta furores) Est opus'; ablativo pluralis elisio evitatur et nominativus i. V. p. metro poscitur. 607 'nimium secreta timete'. Met. I 594 'nemorum secreta', i. V. p.; quo loco pluralis fortasse proprio sensu intellegendus est; sed met. II 556 pps 'sua ne secreta viderent', i. e. Erichthonius in cistula inclusus; cfr. 'commissa'.

sepulchra. Vergilius singularem 'sepulchrum' non nisi in hexametri sexto pede exhibet. Tibullus primum pps sibi concessit: I 3, 8 ubi poeta se mortuum esse fingit 'et fleat effusis ante sepulchra comis', sc. soror. Idem usus obvius est apud Ovidium in epist. VII 188 'nostra sepulchra', i. V. p., sc. Didonis. XI 116 'in tua ... ferre sepulchra comas', cfr. de eadem re i. v. 123 'sepulchro'. XIV 128 'sculptaque sint titulo nostra sepulchra brevi', sc. Hypermnestrae. Ex Pont. III 4, 76 'et desunt fatis sola sepulchra meis', poeta de se ipso. Epist. X 124 'haec sunt officiis digna sepulchra meis'. Dat. plur. (de uno tant. sep.) ad elisionem evitandam: met. VIII 505 'me fraternis‿adde sepulchris'.

serpentes. pps Ovidius in epist. XII 163 'serpentes‿igitur potui taurosque furentes', sc. domare, plurali ante voc.

1) Bednara 548.

2) Bednara 554. Spitta 27. 28. Braumueller I 11. Overholthaus 5. Slotty 17. 18.

elisio evitatur; de una tantum serpente quaestio est, nimirum de ea quae vellus aureum servabat et a Iasone Medea adiuvante interfecta est. De eadem legis singularem in v. 171 'potui sopire draconem', itemque 196 'serpens'.

serpylla[1]) — ἕρπυλλον. Cato de agr. 73 thymus serpyllum. Pluralis primum apud Vergilium invenitur ge. IV 31 'casiae virides et olentia late Serpylla', pluralis concinnitatis causa inter complures plurales. Contra sing. ecl. II 11 'alia serpyllumque herbas contundit olentis'.

sibila. Pluralis apud Ovidium non rare occurrit: Met. III 38 'horrendaque sibila misit'. IV 494 'sibila dant', i. I. p. XIII 785 'senserunt pastoria (sc. Polyphemi) sibila montes'. XV 670 'deus praenuntia sibila misit'. 684 'repetita dedit... sibila lingua'.

sidera lunae. Vergilius Cir. 38 'candida lunae Sidera'. Contra sing. poeticus vocis 'sidus' saepius occurrit apud Verg. et Ovidium in ablativo.

silentia[2]). Lucretius pluralem in poetarum sermonem induxit, qui eum hisce locis exhibet: IV 460 'severa silentia noctis' et 583 'taciturna silentia rumpi'. Quo in usu sequitur Vergilius qui eodem modo ac Lucretius pluralem non nisi in V. p. usurpavit, hisce locis: Ae. I 730 'tum facta silentia tectis'. II 255 'per amica silentia lunae'. 755 'simul ipsa silentia torrent'. III 112 'hinc fida silentia sacris'. X 63 'me alta silentia cogis Rumpere'; quo loco Seyssius pluralem intensivum intellegendum esse arbitratur! XI 241 'tum facta silentia linguis'. Cir. 210 'nocturna silentia temptat'. Tibullus unicum praebet exemplum P 129 'cuncta silentia votis'. Ovidius permulta praebet exempla: Art. II 505 'taciturna silentia vitet', item i. V. p. 603. Met. I 206 'tenuere silentia cuncti'. 232 'nactusque silentia ruris'. 394 'agere alta silentia terras'. 384 'rumpitque silentia voce'. II 700 'furtoque silentia deme'. IV 433 via 'ducit ad infernas per muta silentia sedes'. VII 184 'per muta silentia noctis'. IX 693 'digitoque silentia suadet'. X 30 'vastique silentia regni', sc. Plutonis. 53 'per muta silentia trames', sc. Hadis.

---

1) Weise, Griech. Wörter p. 516.

2) Neue I 632. Spitta 17. 18. Seyss 7. Appel 21. Landgraf 73. Bednara 549.

XI 598 'silentia rumpant'. XII 48 'nulla quies intus, nullaque silentia parte'. Fast. I 183 'nec longa silentia feci'. IV 549 'placidique silentia somni'. V 55 'fecere silentia cunctae'. 429 'nox ... somnoque silentia praebet'. Pluralis non nisi in V. p. obvius est. Cuius vocis poetae dactylici non nisi hac unica forma plurativa uti possunt, cum singularem 'silentium' ◡–◡– metrum non patiatur.

simulacra. Lucretius II 324 'belli simulacra cientes', fortasse proprio sensu. Item Vergilius Ae. V 585 'pugnaeque cient simulacra sub armis'. 674 'belli simulacra ciebat'. Ovidius saepius pluralem sibi permisit, hisce locis: met. III 4, 32 'frustra simulacra fugacia captas'; cfr. versum sequentem 'quod petis, est nusquam' et 434 de eadem re 'imaginis umbra'. VII 358 'factaque de saxo longi simulacra draconis'. X 280 'simulacra suae petit ille puellae'. XI 628 'simulacraque naufraga fingant'. XV 658 'simulacraque nostra relinquam' (Aesculapi verba). XIV 112 'simulacraque cara parentis', sc. Anchisae. Fast. III 45 'Vestae simulacra feruntur Virgineas oculis opposuisse manus'. III 701 Vesta de sacerdote cuius 'sacrilegae manus' eam petiverant: 'ipsa virum rapui, simulacraque nuda reliqui'. VI 295 'esse ... Vestae simulacra putavi'. Trist. III 11, 30 poeta de se ipso: 'ex illo superant haec simulacra viro. Quid simulacra ... dictis incessis amaris? Parce ... manes sollicitare meos' Ib. 617 'simulacra Minervae'. Ex Pont. II 3, 93 'de templo rapiunt (sc. Orestes et Pylades) simulacra Dianae'.

singultus[1]). Lucretius sing. 'singultus frequens' itemque Cicero. Pluralis primum apud Catullum legitur, quo in usu sequitur Vergilius; cfr. Cir. 211 'pressis .. singultibus aëra captat' et Ae. IX 415 'longis singultibus ilia pulsat'. Contra abl. sing. ge. III 507 'imaque longo Ilia singultu tendunt'. Eodem modo Ovidius utitur et singulari et plurali: met. VI 509 'supremumque vale pleno singultibus ore'. Contra abl. sing. am. III 9, 12 'oraque singultu concutiente sonant', item rem. 598. Trist. I 3, 42. Met. XI 420.

sisymbria[2]) — σισύμβριον. Varro l. l. V. 103. Ovidius pluralem exhibet primus fast. IV 869 'date grata sisymbria myrto'.

1) Neue I 558.
2) Weise, Gr. Wörter 518.

soles. Pluralis primum apud Lucretium invenitur V 252 'perusta Solibus adsiduis'. VI 1102 'impestivis pluviis et solibus icta'. 1219 'illis solibus ulla Comparebat avis'; hoc loco 'soles' idem significant ac 'dies'. De diebus etiam Vergilius vocabulo utitur ecl. IX 52 'longos... soles', itemque sensu translato de die Ae. III 203 'tris... incertos... soles'. Contra pps ge. I 66 'coquat maturis solibus aestas'; 393 'ex imbris soles et aperta serena Prospicere'. Ge. II 481 'Oceano properant se tinguere soles Hiberni'; eadem verba Ae. I 745. Ge. II 332 'inque novos soles‿audent se gramina tuto Credere'. Cul. 351 'corripere et soles‿et sidera cuncta minatur'. Cir. 37 'purpureos‿inter soles‿et candida lunae Sidera'. Tibullus pps semel I 4, 2 'ne capiti soles ne noceantque nives', videlicet quia vocabula sol et nix quae ex una tantum syllaba constant poetis commoda non erant. Ovidius pps am. III 6, 106 'sint rapidi soles siccaque semper hiemps'. Epist. V 112 arista 'adsiduis solibus usta riget'. Rem. 405 'frigore soles Sole iuvant umbrae'. Met. I 435 'solibus aetheriis almoque recanduit aestu'. VI 63 'qualis ab imbre solet percussus solibus arcus'. XIII 793 'splendidior... Solibus hibernis aestiva gratior umbra'. Trist. V 8, 31 sensu translato de diebus apricis. Pont. I 3, 54 aequora 'solibus orba tument'. Fast. II 311 'aurea pellebant tepidos‿umbracula soles'. 366 'solibus et campo unda dabant'; cfr. 364 'medias sole tenente vias'. Fast. I 157 'tum blandi soles, ignotaque prodit hirundo'. IV 404 'soles eruta vidit humus'.

sŏnĭtūs. Plautus et Lucretius singularem tantum adhibent. Vergilius primus plur. in usum vocasse videtur; plurali perbene ante voc. elisiones evitantur. Ge. IV 72 'vox Auditur fractos sonitus‿imitata tubarum'. 151 'canores Curetum sonitus', ante cons., fortasse concinnitatis causa. Ae. II 301 'clarescunt sŏnĭtūs amorumque ingruit horror'; apparet pluralem positum esse, quia ante voc. singularis nominativus 'sŏnĭtŭs' propter tribrachyn metrum non patitur. Eadem de causa plur. extat V 435 'vastos Dant sonitus' ante voc. Item VI 586 'sonitus imitatur Olympi' et VII 628 euphoniae gratia 'sonitusque audire tubarum', ad difficilem litterarum mq pronuntiationem evitandam. Ovidius hoc vocabulum non profert.

sonores [1]). Pluraliter invenitur hoc nomen inde a Lucretio V 334 'melicos peperere sonores', nescio an propter euphoniam, cum in eodem versu tria vocabula a littera m incipiant — ad molestam repetitionem evitandam. Abl. plur. VI 1185 'plenaeque sonoribus aures', eundem casum eodem versus loco Vergilius in usum vocat Ae. IX 651 'saeva sonoribus arma'. Abl. sing. quoque invenitur, sed in versus fine ubi perbene immitti potest, VII 462. Eodem versus loco etiam acc. sing. ge. III 199 et gen. sing. Ae. XII 139. Ovidius hac voce omnino non utitur.

spectacula. pps apud Ovidium hisce locis: am. III 2, 65 'maxima iam vacuo praetor spectacula circo Quadriiugos aequo carcere misit equos'. A. a. II 581 'praebent spectacula capti', sc. Mars et Venus a Vulcano in lectulo cubantes. Met. III 246 de Actaeone cum a canibus suis laceraretur 'capere oblatae segnem spectacula praedae'. VII 780 'capioque novi spectacula cursus'. X 668 'praeterit Hippomenes: resonant spectacula plausu'.

spumae [2]). Nom. plur. non invenitur, pro quo semper sing. extat, sed formae 'spumas' et 'spumis' semper pro sing. adhibentur ita ut formae sing. plane neglegantur. Pluralis primum in Ennii A. 518 invenitur 'spiritus ex anima calida spumas‿agit albas', ante voc. Similiter Lucretius III 489 'spumas‿agit'. Ad Ennii exemplum referendum mihi videtur esse Varronis l. l. V 63 'poetae .. quod .. dicunt .. natam e spumis Venerem'; eodem sensu Cic. de nat. deor. III 59 'Venus .. spumā procreata'. Sed apud eundem legimus pluralem in Verr. IV 148 'spumas ageret in ore'. Forma 'spumis' primum extat apud Catullum LXIV 13 'spumis‿incanduit unda'; qua forma Vergilius ter utitur: ge. III 111 ante cons.; item 516, sed Ae. VII 465 ante voc. 'Spumas' Vergilius ge. III 203 ante voc., Ae. I 35 ante cons., III 208 ante voc., item IV 583. Ovidius abl. plur. septem locis: am. III 5, 13 'spumis stridentibus albet'. Met. VII 415 'spumis albentibus' ante voc.; eadem verba met. XV 519. VII 263 'spumis tumentibus albet'. XI 367 'spumis' ante voc. 501 'spumisque sonantibus albet'.

1) Neue I 650.
2) Maas 516 A. 26. 28. Slotty 10.

Fast. IV 62 'a spumis‿est dea dicta maris', de Venere. Quae sententia cum hac plurativa forma eodem modo ac Varronis exemplum e poetis fluxisse videtur. Acc. plur. met. IV 500 ante voc., item VII 282. Acc. sing. met. VIII 417 'stridentemque .. spumam'. Nom. sing. paucis locis occurrit, velut met. VII 74 ubi metro attributi causa poscitur: 'spumaque ... ālbĭdă', i. V. p.; cfr. formam ālbĭdāē, quae versui heroico adaptari non potest.

stabula. pps Vergilius Ae. VI 179 'itur in antiquam silvam, stabula alta ferarum'. Item unum stabulum intellegendum est VII 501 'successitque ... stabulis questuque', plur. nulla cogente causa. Eodem modo IX 566 'agnum Martius a stabulis rapuit lupus'; et X 723 fortasse plurativo sensu 'impastus stabula alta leo ... peragrans'. Ovidius pps met. VI 521 'natam In stabula alta trahit silvis obscura vetustis'; de eodem loco ubi Philomela erat inclusa etiam 596 'venit ad stabula avia tandem'; eodem sensu legis de eadem re 601 'domum .. nefandam'. Fast. IV 748 'effugiat stabulis noxa repulsa meis', quo loco meo quidem iudicio pluralis nulla causa cogente exstare videtur.

stagna. pps Vergilius Ae. I 126 'imis Stagna refusa vadis', de 'ponto' tempestate commoto. VI 323 'Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem'; eodem sensu de Tartari lacu 330 'stagna exoptata revisunt'. VII 150 de palude ex qua Numicius fluvius effluit: 'haec fontis stagna Numici'. Tibullus pps I 3, 77 'Tantalus est illic et circum stagna', i. V. p. Ovidius pps ex Pont. I 8, 38 'stagnaque et Euripi', i. I. p. II 10, 25 'olentis stagna Palici', i. V. p. Fast. II 603 'tetigit Iuturna stagna sororis'. III 648 Numicius 'stagnis‿oculuisse suis'. IV 278 'longaque Phrixeae stagna sororis adit'. VI 413 'stagna recesserunt et aquas sua ripa coercet', de eadem re anteit (412) 'non adeunda palus'.

stamina. Tibullus VII 2 et Lygdam. III 36 et Propertius pluralem de staminibus vitae quae a Parcis nentur, non nisi plurativo sensu in usum vocant. Ovidius autem trist. IV 1, 63 pluralem exhibet quo loco de poetae stamine vitali quaestio est hisce verbis: 'cognosco natalis stamina nostri'.

stipula — stipulae[1]). Apud Terentium et Lucretium

1) Maas 506. 18. 29.

— V 606 singul. quamquam cum plurali coniunctus est 'segetes stipulamque videmus' — non nisi singulariter occurrit, Vergilius demum praeter singularem formas quoque plurativas sibi concessit: acc. sing. ge. I 85 'atque levem stipulam crepitantibus urere flammis', acc. plur. 321 'culmumque levem stipulasque volantis', ante cons., videlicet ad **m** litterae repetitionem cumulatam evitandam. Abl. plur. ge. III 99 'ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis Incassum furit', ante cons., nulla cogente causa metrica, sed ut mihi videtur poeta non inconsulto **i** litteram in hac sententia decies adhibuit. Item Ovidius et singularem et pluralem promiscue in usum vocat: abl. sing. septem locis. Nom. plur. met. I 492 'utque leves stipulae demptis adolentur aristis', ubi singularis stĭpŭlă ad metrum non quadrat. Acc. plur. fast. IV 725 'cinerem stipulasque fabalis', euphoniae causa quia tria vocabula in **m** desinentia aures offendunt. Contra abl. plur. 797 ante voc., item met. VIII 630.

strĕpĭtūs[1]). Pluralis inde a Vergilio, qui etiam sing. et acc. et abl. exhibet. Nominativus singularis, qui tribrachyn praebet, non nisi ante voc. versui adaptari potest. Pluralis obviam fit ge. III 79 'nec vanos‿horret strepitus', ante voc., ad elisiones evitandas, item Ae. IX 394 'audit strepitus‿et signa sequentum'. Tibullus semel plur. acc. exhibet ante cons. **m**, ad m litterarum conlisionem evitandam: I 6, 62 'cognoscit strepitus me veniente'. Horatius epist. II 2, 79 ad elisionem evitandam propter attributum, 'strepitus nocturnos‿atque diurnos', et art. 82 'strepitus‿' ante voc. Ovidius plur. exhibet semel: Met. XI 650 'nullos strepitus' ante cons., terminatio **um** bis repetita aures offendisset.

stridores, quae vox pluraliter usurpatur inde a Vergilio, qui abl. plur. bis nimirum in V. p. exhibet: Ge. II 162 'magnis stridoribus aequor' et Ae. XII 590 'magnisque acuunt stridoribus iras'. Ceteris locis singularis in usum vocatur, velut ablativus ge. I 407 'magno stridore per auras', praeterea acc. et nom. inveniuntur. Tibullus et Ovidius singularem tantum sibi permiserunt.

sulpura[2]). Vergilius et sing. et plur. usurpat. Plur. ge. III 449 'sulpura viva', inter complures plurales. Contra

1) Neue I 648.
2) Neue I 621. Maas 523. Bednara 561.

abl. sing. Ae. II 698 i. V. p. et Aet. 436 i. I. p. Gen. sing. 390 i. V. p. ante voc. et nom. sing. 515 i. VI. p. Plur. etiam Cir. 369 'sulpura' i. V. p. Tibullus semel hoc vocab. utitur in abl. sing. I 5, 11 i. V. p. Ovidius plur. met. III 374 'rapiunt vivacia sulpura flammam'. XIV 791 'lurida .. supponunt sulpura fonti'. XV 351 i. V. p. Fast. I 271 'subieci sulpura venis'. Saepius sing. abl. i. V. p.: epist. VII 23. A. a. I 256. II 441. Rem. 260. 731. Met. V 405. VII 261. XIV 87. Fast. IV 739. 740. 'Sulpur' a. a. II 330.

susurri. Vergilius semel singularem profert ecl. I 55 'susurro' i. VI. p. Pluralem invenimus apud Propertium I 11, 13 'alterius blandos‿audire susurros', quo modo elisio evitatur. Item pluralem exhibet Horatius carm. I 9, 19 'lenesque sub noctem susurri'.

taedia[1]). Pluralis primum apud Vergilium invenitur qui eo semel utitur — singularis obviam non est — ge. IV 332 'tanta meae si te ceperunt taedia laudis'. Quo in usu sequitur Tibullus I 4, 16 'ne te capient ... Taedia' i. I. p., et Lyd. II 8 'tot mala .. taedia', i. I. p. attributum et post pent. caes. substantivum. Ovidius am. II 19, 25 'pinguis amor ... in taedia nobis Vertitur'. Epist. III 139 'in taedia nostri'. A. a. I 718 'taedia tolle tui'. II 346 'taedia nulla fuge'. 530 'taedia ferre sui'. Rem. 539 'taedia quaere mali. faciunt et taedia finem'. Met. VII 572 'tantaque ... taedia lecti'. IX 616 'taedia coepti Ulla mei capiam', de Byblide quae fratri per epistulam amorem confessa ab eoque reiecta est. X 482 'mortisque metus et taedia vitae'. 625 'taedia vitae'. XIII 213 'longi taedia belli'. XIV 158 'taedia longa laborum'. 718 'erunt tibi taedia tandem Nulla ferenda mei'. Ib. 584 'vitae taedia iusta tuae'. Pont. I 9, 31 'taedia vitae'. III 7, 3 i. I. p. IV 15, 30 'subeant animo taedia iusta tuo'.

tecta[2]). Cuius vocis pluratīvus numerus a poetis persaepe usurpatur et ad unius domus tectum significandum et pro domo ipsa, quo sensu etiam scriptores hoc vocabulo utuntur, sed singulariter ubi de uno tantum aedificio quaestio est. Illius usus plurativi poetae Latini analogiam habebant in poetarum

1) Neue I 636. Spitta 42. Bednara 549.

2) Spitta 9. 28. 29. Braumueller I 11. 20. Overholthaus 5. Landgraf 72. Slotty 18. 41. 44. 45. 46. 49. Bednara 549. 550.

Graecorum sermone; voci 'tecta' enim respondet στέγαι [1]) quam Aeschylus cum notione singularis primum in usum vocat; cfr. Ag. 3. 518. Consimilis quoque nominis μέλαθρα [2]) usus est, quod tragici poetae omnibus fere locis pluraliter pro sing. exhibent. Apud dactylicos Romanos pluralis pro singulari legitur inde a Lucretio II 1110 'caeli domus altaque tecta'. Nam pro certo dici non potest, utrum Ennii sc. 95 'tectis caelatis laqueatis Auro ebore instructam regifice' poetica cum illa licentia dictum sit an, cum de Priami regia agatur, de variis locis tectis intellegendum sit. Eodem modo Catulli 64, 75 explicandum videtur esse, ubi de Minois regia dicitur 'Gortynia tecta'. Pluralis poet. intellegendus est apud Catullum 64, 246 ubi de labyrintho agitur: 'sic funesta domus ingressus tecta paterna' et 276 'vestibuli linquentes regia tecta'; de labyrintho legis singularem 'tecti' 115. Vergilius pps ecl. VI 81 Philomela 'infelix sua tecta super violaverit alis'. Ge. II 242 'colaque prelorum fumosis deripe tectis'. Ge. IV 374 'thalami pendentia pumice tecta'; de eodem aedificio cfr. 385 'summum tecti'. Ae. I 627 de Didonis regia plur. fortasse poeticus: 'tectis iuvenes succedite nostris' ante voc; et 632 eodem sensu 'Aeneam in regia ducit Tecta'; et 638 'mediisque parant convivia tectis'; antecedit (637) 'domus interior regali .. luxu instruitur'. Item plur. 725 'fit strepitus tectis vocemque per ampla volutant Atria'; cum de uno tantum atrio quaestio sit, etiam 'tectis' pps esse constat. Itemque 730 'facta silentia tectis'. II 440 de Priami arce 'Danaosque ad tecta ruentis'. 672 de Aeneae domu 'meque extra tecta ferebam'; de eadem re sequitur 679 'tectum omne'. III 83 'iungimus hospitio dextras et tecta subimus'. IV 343 'Priami tecta alta', i. V. p. Fortasse etiam 457 de Priami regia 'fuit in tectis de marmore templum'. V 393 'spolia illa tuis pendentia tectis'. VI 13 'Triviae lucos atque aurea tecta'. 211 'sub tecta Sibyllae'. 523 'coniunx arma omnia tectis Amovet'. Nescio an poeta pluralem exhibuerit ad hiatum inter hosce versus evitandum. De eadem domo 525 'intra tecta vocat Menelaum'. VII 77 de Lavinii domo 'totis Volcanum spargere tectis'. 168 'intra tecta vocari'. De eadem re cfr. 170 'tectum augustum ingens'. 193 'Teucros ad se in tecta vocavit'. 342

1) Witte 25. 55. 56. 58. 211.
2) Witte 25. 42.

'Laurentis tecta tyranni Celsa petit ... obsedit limen Amatae'. 413 'tectis‿hic Turnus in altis', versus sequens a vocali incipit. 460 'arma toro tectisque requirit', pluralis ad o litterae repetitionem evitandam. 500 'saucius ... nota intra tecta refugit'. Eodem sensu 502 'tectum omne replebat'. 512 'ardua tecta petit stabuli'. 585 'circumstat tecta Latini'. 638 'hic galeam tectis trepidus rapit'. 668 'regia tecta subibat'. VIII 359 'ad tecta subibant Pauperis Euandri'. 584 'famuli conlapsum in tecta ferebant'. IX 502 (matrem Euryali) 'sub tecta reponunt'. 558 'altaque certat Prendere tecta manu', sc. muri tectum, vernacule 'die Zinne der Mauer'. Heynius 'tecta' posita esse pro valli superiore parte. X 5 'considunt (sc. dei) tectis bipatentibus', ubi 'domus omnipotentis Olympi' intellegenda est, cfr. v. 1 et 101. Pluralem legis 758 'Iovis in tectis' ante voc. XI 237 'ruuntque ad regia plenis Tecta viis', sc. Latini. Itemque 447 'per regia tecta', i. V. p., et 462 'tectis citus extulit altis'. XII 81 'rapidusque in tecta recessit'. Cir. 51 Scylla 'caeruleis sua tecta super volitaverit alis'. Tibullus sensu translato de arboris umbra I 4, 1 'sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape'. P 13 Alcides 'laeta Molorcheis posuit vestigia tectis'. Ovidius am. I 6, 58 'tecta superba petam'. III 9, 14 'egressum tectis, pulcher Iule tuis'. Epist. IV 60 'curva meae fugit tecta sororis ope'; 'tecta' de Labyrintho (cfr. exempla Catulliana). VIII 10 'in sua tecta', i. V. p., sc. Pyrrhi. 54 Aegistheus 'tecta cruentavit', sc. Agamemnonis. X 128 de labyrintho 'sectaque per dubias saxea tecta vias'. XI 102 'fuge .. tecta nefanda pede', de Canacae domo. XIV 13 'magni sub tecta Pelasgi'. A. a. II 362 'isdem sub tectis‿hospes (sc. Paris) et uxor erant'. Met. I 218 'Arcadis .. inhospita tecta tyranni'; de eadem domo 231 i. V. p. 'tecta', item 276. II 20 'tecta parentis'. 761 'Invidiae .. squalentia tabo Tecta petit .. domus est'. III 204 'repetatne domum et regalia tecta'. IV 444 'imi tecta tyranni'. VI 614 'regalia tecta cremaro'. VIII 691 'vestra relinquite tecta', de Philemonis et Baucidis domo. Item 697 'sua tecta manere', et 700 'aurataque tecta videntur'. XI 591 Iris 'tecta petit ... latentia regis'. XIII 638 'regia tecta petunt'. XV 808 'intres .. ipsa sororum Tecta trium'. Trist. I 9, 7 'candida tecta', i. V. p. III 1, 34 'tectaque digna deo Et Iovis haec .. domus est'. III 12, 10 (hirundo) 'tectaque parva facit'.

Fast. IV 516 'tecta suae subeat quantulacumque suae'. 526 'tecta casae'. V 505 'tecta senis . . . deformia fumo'; cfr. de eadem domo 500 'exiguam . . casam'. II 672 'exiguum templi tecta foramen habet'. 738 'regalia . . . tecta'. III 242 de avis nido 'in ramo tecta laremque parat'. VI 640 'immensae tecta fuisse domus'. Abl. plur. am. III 9, 14 ante cons. Met. II 751 'tectis‿excedere cogit'. 756 i. VI. p. III 697 ante voc. VIII 158 ante cons. 'Caecisque includere tectis', sc. Minotaurum; cfr. de labyrintho 168 'tanta est fallacia tecti'. 550 'recede meis‿ ait . . tectis'. IX 148 ante voc., item XI 710. Fast. I 121 ante voc. et V 442 'tectis‿exeat umbra suis', et VI 438 'est tectis‿ obruta paene suis', sc. Vesta.

tela[1]) — βέλη[2]). pps inde a Vergilio Ae. II 216 'auxilio subeuntem ac tela ferentem'. V 513 'arcu contenta parato Tela tenens fratrem . . in vota vocavit'. VI 57 'Phoebe . . Dardana . . Paridis direxti tela manusque Corpus in Aeacidae'. IX 409 'rege tela per auras', cfr. de eadem re 411 'hasta', 410 'ferrum', 417 'telum' ubi pluralis propter attributum adhiberi nequit 'ălĭŭd (ante cons.), cfr. ălĭă. 653 'telis‿impune Numanum Oppetiisse tuis'; cfr. 632 'effugit . . sagitta'. X 731 'tundit humum exspirans infractaque tela cruentat'. IV 69 'qualis coniecta cerva sagitta Quam . . fixit pastor agens telis liquitque volatile ferrum'. Tibullus I 10, 14 pps 'iam quis forsitan hostis Haesura in nostro tela gerit latere'. Ceteris locis plur. proprio sensu extat. Ovidius pps am. II 5, 52 'excutere irato tela trisulca Iovi'. Epist. III 108 'perque tuos enses, cognita tela meis', de Achillis ense. XI 20 'teneo non mea tela manu?'; cfr. v. 3 'strictum tenet altera ferrum'. XIV 14 (Hypermnestrae verba) 'capio tela tremente manu'; cfr. v. 46 eodem sensu 'ter male sublato reccidit ense manus'. Rursus pluralis de eadem re: 48 'admovi iugulo tela paterna tuo'. 65 'quid mihi cum ferro? quid bellica tela puellae'; contra de eadem re sing. 70 'paene manus telo saucia facta tuast'; denuo plur. 76 'adspicis in timida fortia tela manu'. Item pps de uno iaculo a. a. III 734 'in dextra tela fuere manu' et 735 'supprime tela'. Met. XII 99 'rursus temeraria forti Tela manu torsit', de uno iaculo. Item 422 'post tela

1) Braumueller I 14. 31. Appel 65. Spitta 14. 15.

2) Volp 56. Witte 31.

educta refrixit'; de eadem re 427 'telo'. Trist. II 179 'parce fulmenque tuum, fera tela reconde ... nimium misero cognita tela mihi'. Fast. II 838 'fixaque semianimi corpore tela rapit', de eadem re 839 'stillantem .. sanguine cultrum'. Fast. IV 714 'tela . . dextrae fulmine rapta negant'. VI 770 'cecidit telis Hasdrubal ipse suis'.

templa[1]). Plaut. Rud. 909. Mil. 413 'templis' sensu translato de regno Neptuni. Eadem circumlocutione utitur Ennius sc. 196 'magna templa caelitum commixta stellis splendidis'. Eodem sensu A. 49 'caeli caerula templa' et 65 'caerula caeli', eodem sensu singularis A. 541 'contremuit templum Iovis'. Ad illa Ennii exempla referenda sunt Cic. de republ. VI 24 et Terentii Eun. 590 'templa caeli summa suo nutu quatit.' Eadem translatione Lucretius utitur: I 1014 'caeli lucida templa'. 1064 'caeli templa'. I 1105 'caeli tonitralia templa'. II 1039 'caeli . . lucida templa'. V 490 'altaque caeli . . fulgentia templa'. 521 'caeli . . summania templa'. VI 388 'caelestia templa'. 644 'fumida . . caeli . . omnia templa'. 670 eadem verba ac 388. — 1001 'caeli templa'. 1228 eadem verba. Haec translatio etiam apud Ovidium invenitur met. XIV 814 'caerula caeli' et fast. II 487 eadem verba. Hor. epist. II 1, 6; cfr. Ennius A 65. — Ad totum mundum denotandum Lucretius hoc nomen in usum vocat et singulariter et pluraliter: V 772 'magni per caerula mundi'. V 1204 'magni caelestia mundi Templa'. VI 43 'mundi mortalia templa'. Singul. VI 1436 'mundi magnum versatile templum'; eodem sensu Cic. de republ. VI 15. Senec. de benef. III 7, 3. — De Tartaro: Ennius scen. 107 'Acherusia templa alta Orci'. Ad Ennium spectant in hoc usu Cicero Tusc. disp. I 21, 48 et Lucretius I 120. III 25. 86. Cul. 217 de Tartaro: 'limina conlucent infestis omnia templis'. — Huc etiam alia translatio commemoranda est, qua Lucretius utitur IV 624 'umida linguai sudantia templa', et V 103 'templaque mentis'. Inde a Vergilio vocis 'templum' pluralis sensu proprio de uno tantum templo sive fano unius dei in usum vocatur vel i. I. p. vel i. V. p. Ae. III 84 de Apollinis templo quod Deli in insula situm erat 'templa dei saxo venerabar structa vetusto'. VI 19 de uno templo quod Daedalus

1) Landgraf 73. Slotty 19. 20. Bednara 550. Frobenius 6. 7.

Apollini sacravit: 'posuitque immania templa'; de eodem templo 41 'Teucros vocat alta in templa sacerdos'. 840 'templa et temerata Minervae', sc. ab Aiante, qui Cassandram in templo Minervae constupravit; cfr. de eodem templo II 404 'trahebatur ... a templo Cassandra adytisque Minervae'. Tibullus pps II 5, 1 'Phoebe, fave: novus ingreditur tua templa sacerdos'. Fortasse etiam pps II 3, 22 abl. ante voc. I 3, 28 ante cons. Lygd. IV 77 ante voc. Ovidius epist. XIX 180 'polliciti conscia templa colas', de templo in quo Cydippe se Acontio obsecuturam esse promiserat. A. a. I 77 'Memphitica templa iuvencae'. 87 'hunc Venus e templis quae sunt confīnĭă videt'. Met. X 686 'templa deum Matri', i. I. p.; eodem sensu 691 i. V. p. 'templa'. XI 578 'Iunonis templa colebat'. XV 687 de Aesculapii Epidaurii templo: 'habitataque templa salutat'. 722 'templa parentis init', i. I. p. Trist. III 1, 60 'ducor ad intonsi candida templa dei'; poeta de Apollinis Palatini templo loquitur quod ab Augusto a. 28 dedicatum erat; cfr. de eodem templo Hor. carm. I 31. III 1, 69 'altera templa peto vicino iuxta theatro'; ex versibus sequentibus id esse templum Libertatis elucet, cfr. 72. Pont. III 2, 49 'templa manent hodie vastis innixa columbis', quae verba ad templum referenda sunt, ubi Iphigenia Dianae sacra faciebat; de quo legis 65 singularem 'praefuerat templo multos ea (sc. Iphigenia) rite per annos'. IV 5, 21 'patres in Iulia templa vocati'. Fast. I 70 de Iani templo 'resera nutu candida templa tuo'. 294 'iunctaque sunt magno templa nepotis avo', sc. templum nepotis i. e. Aesculapii cum Iovis templo. 648 'templaque fecisti, quam colis ipse, deae', de Concordiae templo agitur, cfr. de eodem sing. 637 'templo'. 706 'Ledaeis templa dicata deis'. Fast. II 58 'templa deae', sc. Iunonis hospitae, cfr. 'delubra' ad h. l. 670 'Terminus .. cum Iove templa tenet', cfr. de eodem fano 672 'templi tecta'. Fast. III 247 'illic a moribus' (postquam a mulieribus pugna Romanorum Sabinorumque impedita est) 'Iunoni templa Latinis Hoc sunt .. publica facta die'. 704 (Caesar) 'tenet in magno templa dicata foro'. Fast. IV 871 ,templa . . Collinae proxima portae . . a Siculo nomina colla tenent'. Fast. V 153 'templa Patres illic (i. in Palatino monte) oculos exosa viriles'. 552 'templaque in Augusto conspicienda foro', de Martis templo, cfr. eodem sensu 555 'delubra' et

553 'opus'. 577 Augustus invocat Martem et vovet: 'templa feres'; de eodem sacro cfr. 595 'rite deo templumque datum'. 669 'templa tibi posuere patres spectantia Circum', sc. Mercurio. Fast. VI 34 'iunctaque Tarpeio sunt mea templa Iovi', sc. Iunonis. 183 'arce quoque in summa Iunoni templa Monetae Ex voto ... facta, Camille tuo'. 480 'Matutae ... parenti Sceptiferas Servi templa dedisse manus', de eodem templo 481 'a limine templi'. 731 'reddita... Summano templa feruntur'. 784 'serva ... Tullius ortus Constituit dubiae templa propinqua deae'. 796 'cum data sunt trabeae templa, Quirine, tuae'. — Etiam singularis propter attributum metro poscitur velut ex Pont. III 3, 91 'venerābĭlĕ templum', cum venerābĭlĭă ad metrum non quadret.

t e m p o r a[1] — χρόνοι[2]). V e r g i l i u s pps semel Ae. IV 294 'temptaturum aditus et quae mollissima fandi Tempora'. T i b u l l u s I 4, 6 'aestivi tempora sicca canis', fortasse pps. Lygdam. VI 31 'securae reddamus tempora mensae'. O v i d i u s am. I 6, 24 'tempora noctis eunt', eadem verba 32. 40. 48. 56. II 10, 27 'consumpsi tempora noctis'. II 11, 51 'iniquae tempora noctis'. III 6, 10 'quid parca dedisse quieti Tempora' (sc. iuvat). III 10, 1 'annua venerunt Cerealis tempora sacri'. Epist. XVIII 165 'ad reditun ... tempora desint'. Rem. 107 'auxilii perierunt tempora primi'. Met. II 467 'idonea tempora'; eadem verba IX 610. XI 758 'novissima Troiae tempora'. IX 573 'apta minister Tempora nactus adit'. VIII 2 'noctisque fugante Tempora Lucifero'. III 312 'maternaque tempora complet'. Trist. III 13, 2 'ad sua Natalis tempora noster adest'. Met. XI 306 'spem veneris differt in tempora noctis Apollo'. Fast. III 7 'ponendae tempora sume Cuspidis'. V 185 'tempora Mai'. 487 'eadem nec virginis apta Tempora', cfr. 486 'ferali tempore' et 491 'sub eodem tempore'. 602 'finem tempora veris habent'. VI 767 'tempora ... veteris temeraria damni'. Saepe metrum poscit singularem 'tempus' propter attributum quod pluraliter versui immitti non potest, velut

1) Appel 23. 72. 73. Bednara 561.

2) Pluralis apud Sophoclem Aristophanemque invenitur (O. T. 561. 1137. Eccles. 637) sed proprio plurativo sensu. pps demum in Theodectis tragici fragm. (8, 9 p. 804 N.) ὑστέροισιν ἐν χρόνοις; cfr. Soph. O. C. 614 ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ. Witte p. 205.

met. VII 511 inexcusābĭlĕ, cfr. plur. inexcusābĭlĭă. IX 759 optābĭlĕ. Fast. IV 125 āptĭŭs; cfr. āptĭōră. Quae exempla facile augeri possunt.

thalami[1]) — θάλαμοι[2]) — quod nomen Catullus in linguam latinam transtulit, Vergilius primum pluraliter pro singulari usurpavit: Ae. VI 94 'causa mali tanti coniunx iterum hospita Teucris Externique iterum thalami', sc. Laviniae. VII 97 'thalamis neu crede paratis', sc. ne Turno filiam Laviniam in matrimonium des, caveas. X 389 Achelous 'thalamos‿ausum incestare novercae'. 649 'quo fugis Aenea? thalamos ne desere pactos'. Ovidius am. I 5, 11 'qualiter in thalamos famosa Semiramis isse'; plur. nulla cogente causa. III 4, 21 'in thalamum Danae'. Epist. II 117 'Tisiphone thalamis‿ululavit in illis', sc. in thalamo Pyladis. III 72 'in thalamos coniunx ibit eatque tuos', sc. Achillis. V 92 'hac venit in thalamos dote superba tuos'. VIII 94 'intravi thalamos matre parente novos'. 105 'nox ubi me (Hermionam) thalamis‿ululantem'. XV 50 'de thalamis‿abstraherere meis'. Art. a. III 560 'tetigit thalamos praeda novella tuos'. 592 'se thalamos speret habere tuos'. 807 'nec lucem in thalamos totis admitte fenestris'. Met. I 658 'tibi ... thalamos taedasque parabam'. II 797 'thalamos‿intravit Cecrope natae'. IV 218 'thalamos deus intrat amatos'; eodem sensu 225 'thalamo ... relicto'. VI 148 'ante suos Niobe thalamos cognoverat illam'. 700 'debueram thalamos petiisse', sc. Boreas Orithyiae. VII 22 'thalamos alieni concipis orbis?' de Medea. 801 'Iovis ... meo thalamos praeferret amore'. 856 'ne thalamis‿Auram patiare innubere nostris'. VIII 84 'thalamos taciturna (sc. Scylla) paternos‿Intrat'. 157 'thalamis removere pudorem', i. e. Minotaurum. 817 'intrat Sacrilegi thalamos', ante voc. IX 146 'thalamos tenet altera nostros'. X 469 'plena patris thalamis‿excedit'. 571 'praemia veloci coniunx thalamique dabuntur'; de eadem re 620 'thalamosque relinque cruentos'. 703 'pro thalamis celebrant silvas'. XII 193 'temptasset Peleus thalamos quoque forsitan illos'. 195 'nec Caenis in ullos Denupsit thalamos'. Fast. II 598 'colunt thalamos,

1) Spitta 25. 29. Seyss 14. Braumueller I 11. Bednara 540.

2) Witte 25. 47. 49. 71. 204. 236. pps inde a Homero qui eo semel utitur ψ 41; deinde propter euphoniam, ut mihi videtur, apud Eurip. invenitur, Hec. 919 πόσις ἐν θαλάμοις ἔκειτο.

Ilia diva, tuos'. 794 'venit in thalamos, nupta pudica, tuos'. 553 'thalamis ... Elissae', ante cons. 689 'thalamosque parat. deducitur illuc Anna'. IV 233 'thalami ... tectum'. VI 143 'in thalamos venere Procae'. 166 'lumen thalamis parva fenestra dabat'. 225 'thalamis‿aliena reperta est'.

thyma[1]). Plur. inde ab Horatio carm. I 17, 6 'ĕt thy̆mă deviae'. IV 2, 29. Epist. I 3, 21. Ovidius a. a. I 96 'per flores et thyma summa volant'; contra met. XV 80 'mella thymi redolentia flore'. Ex Pont. II 7, 26 'multis floreat Hybla thymis', cfr. trist. V 13, 22 'careat dulci Trinacris Hybla thymo'. Fast. IV 440 'pārs thy̆mă, pars casiam, pars meliloton amant', inter complures singulares. V 272 'violam et cytisos et thyma cana voco'.

thyrsi[2]). pps primum Propertius III 3, 35 'haec hederas legit in thyrsos', ante voc. Ovidius pps semel ante voc. a. a. I 190 'timuit thyrsos‿India victa tuos', sc. Bacchi. Ceteris locis vel plur. vel sing. proprio sensu adhibetur.

timores[3]) — φόβοι. Soph. Ai. 351. O. R. 585. 917[4]). pps inde a Catullo et Lucretio. Catullus 64, 99 'quanto illa tulit languenti corde timores'. Lucretius II 45 'mortisque timores'; et V 46 'quantique perinde timores'; quo loco cum pluralis coniunctus sit cum 'curae' concinnitatis causa usurpatus videtur esse, praeterea poetae forma plurativa in hexametri fine commoda erat. De Ciceronis usu plurativo Slotty l. c. recte iudicasse mihi videtur. Cicero tribus locis plurali usus est: Tusc. II 11 et de leg. I 32, ubi propter concinnitatem pluralem exhibitum esse Slotty docet, et de rep. I 68 ad omnia timoris genera in universum significanda. Et in eo Slotty adstipulamur cum neque Caesar neque Sallustius hoc plurali usi sint, huius vocis usum plurativum poeticae dictionis solum esse proprium; itaque eorum sententias neglegendas esse, qui pluralem de 'variis metuendi causis' accipiunt. Simili modo ac Lucretius hoc nomen Vergilius pluraliter exhibet in Ae. V 812 'pelle timores', in versus fine; quibus verbis Neptunus Venerem de Aeneae salute timentem consolatur. Ladewigius hunc locum sic

1) Neue I 613. Bednara 550.
2) Bednara 540.
3) Neue I 650. Slotty 31. 46. 49.
4) Volp 60.

explicandum esse censet: pluralem significare timorem ob eandem causam saepe reversum. Alias Vergilius singulari utitur et nominativo et accusativo et genetivo. Horatius plur. adhibet in carm. I 37, 15 'mentem ... Redigit in veros timores'. Epist. I 4, 12 'inter spem curamque, timores‿inter et iras'; et propter concinnitatem — ut bis duo verba stent contra duo — et ad elisionem evitandam pluralis altero loco positus est. In Lygd. carm. IV 13[1]) 'efficiat vanos noctis Lucina timores'. Dissenius in comment. p. 346 verba 'noctis tim.' sic explicat: 'visus qui timorem iniecerunt veluti 'pavores metus' dicuntur pro rebus pavorem metum facientibus'. Eandem explicationem profert Heynius qui etiam de δείματα νυχίων ὀνείρων admonet (p. 159). Item Propertius semel pluralem in usum vocat I 3, 29[1]) 'insolitos portarent visa timores'. Ovidius[2]) am. II 8, 23 'fingisque novos‿ingrata timores'. Met. XII 60 inter complures singul. 'Credulitas.. Error.. Laetitia.. consternatique Timores.. Susurri'; in hexametri fine. Trist. II 153 'mei variantque timores'. Ceteris locis extant singularis formae eodem modo atque apud Vergilium.

tinnitus[3]). Pluralis inde a Catullo 64, 262 'tenues tinnitus'. Vergilius et plurali et singulari utitur. Plur. ge. IV 64 nulla cogente causa 'tinnitusque cie'. Sing. Ae. IX 809 'tinnitu'. Ovidius non nisi pluraliter hoc vocab. usurpavit: acc. plur. semel ad elisionem evitandam: Fast. IV 184 'aeraque tinnitus‿aere repulsa dabunt'. Ceteris locis extat abl. plur.: met. V 204 'sonuit tinnitibus ensis acutis'. VI 589 'tinnitibus aeris acuti'. XIV 536 'tinnitibus aëre pulsi Aeris'. Fast. III 741 'volucres tinnitibus actae'. IV 207 'resonat tinnitibus Ide'.

tremores[4]). Pluralis inde a Lucretio, VI 547 'disserpunt inde tremores', i. VI. p.; eodem modo ac 'timores' in nominativo. Vergilius non nisi singularis nominativum exhibet. Ovidius pluralem ponit met. VI 699 'sollicito ... tremoribus orbem'; idem XV 271 'imis commota tremoribus orbis'. 798 motamque tremoribus urbem'. In nominativo utitur singulari

1) Deest apud Neuium.
2) Omnes loci Ovidiani desunt apud Neuium.
3) Neue I 648.
4) Neue I 650.

velut epist. XIV 18 i. VI. p. III 40. Abl. sing. met. II 276 'magnoque tremore'.

tumuli. pps Propertius IV 7, 54 'vipera nostris Sibilet in tumulis‿et .. super ossa cubet', ad elisionem evitandam.

tura[1]). pps inde a Vergilio qui etiam singularem profert. Omnino dicendum est poetas ubi plurali non addunt numerale singularem et pluralem nullo discrimine intercedente usurpavisse prout versus rationes poscunt. Analogiam hoc nomen pluraliter adhibendi in Graecorum sermone invenit Vergilius, nimirum in voce θύεα quod Homerus pluraliter in usum vocat. Vergilius plural. poeticum hisce locis exhibet: ecl. VIII 65 'mascula tura'. Ge. I 57 'sua tura', i. V. p. Cul. 87 'Panchaïa tura'. Ae. VIII 106 'tura dabant', i. I. p. Contra abl. sing. Ae. I 417 'Sabaeo Ture calent arae'. XI 481 i. V. p. Tibullus pps I 3, 34 'menstrua tura', i. V. p. 8, 70 p. pent. caes. II 2, 3 'pia tura'. III 11, 9. Lygdam. III 2 'blandaque .. tura'. Contra gen. sing. I 7, 53. III 12, 1. Propertius II 10, 24 'vilia tura', i. V. p. II 19, 13 'rara ... tura'. Ovidius plur. poet. 'tura' am. II 13, 23 III 3, 33 'pia tura'. III 13, 9 'votivaque tura', i. V. p. Epist. VII 24 i. V. p. XIII 113 i. I. p. XIV 26 'impia tura', i. V. p. XX 7 'pia tura'. 92 'tura merumque damus'. 184 'tura feras', i. I. p. Med. 83. 94 'mascula tura sale'. 96 'cum sale tura', i. V. p. A. a. I 638. Met. III 733. IV 11. I 294. II 289. VI 161. 164. VII 161. 589 'irrita tura tulit'. IX 159. X 273. 308 'sudataque ligno Tura'. 683. XI 577 'pia tura ferebat'. XIII 636 'ture dato flammis vinoque in tura profuso'. XV 733 i. I. p. Trist. I 2, 104. II 59 'pia tura'. III 13, 23 'tura .. nil exorantia dicor'. IV 2, 4. V 5, 11 'tura .. facientia flammas'. Ex Pont. I 4, 55 i. I. p. II 1, 32. II 3, 99. 9, 28. III 1, 162. IV 8, 29 'tura .. sollemnia flammis'. 40 i. I. p. Fast. I 172 'tura merumque fero'. 341 'tura .., costum'. 719. II 507. 631. III 418. 731 'captivaque tura dedisti'. IV 145 i.V.p., cfr. 150 'parvo ture'. 334 'tura'. 411. 935 'tura ... vinumque dedit'. VI 370. Contra plur. proprio sensu fast. II 573 'tria tura'. Gen. et abl. sing. persaepe inveniuntur, velut met. V 131 'turis acervos'. Fast. V 302 'ture dato.' Sed singularis 'tus' forma rarissime a poetis exhibetur eo, quod formae plurativae nomi-

1) Neue I 615. 16. 748. 49. Maas 495. 506. 522. Hailer 8. Landgraf 69. Bednara 561.

num monosyllaborum multo melius cadunt quam singularis. Forma 'tus' tribus locis obviam fit: Hor. epist. I 14, 23. II 1, 269. Ovid. rem. 85.

vada[1]). Quod nomen ad mare denotandum a poetis usque ad Ovidium — qui inclusus est — non nisi pluraliter ponitur. Posteriores demum singularem 'vadum' efferunt ad mare significandum. Catullus hoc sensu ter hanc vocem usurpavit: 64, 6. 58. 63, 47 ubi de uno mari cogitandum est. Vergilius plurali utitur ubi de compluribus maribus agitur V 158 'sulcant vada salsa carina' et 615 'tot vada', item VII 198. IX 670 'in vada'. De uno mari Ae. VIII 91 'labitur uncta vadis‿abies'. Ovidius fast. I 458 'patriis‿exserit ora vadis'. Ex Pont. IV 9, 2 'ab Euxinis (ante voc.) .. vadis'.

vāgītūs[3]). Pluralis primum a Lucretio ponitur, nimirum abl. II 579 'mixtos vagitibus aegris Ploratus'. Deinde exstat apud Ovidium et sing. et plur.: Epist. XI 71 'vāgītŭs ăd aures Venit', sed 85 eodem sensu plur. 'vāgītūs dedit ille', et met. XV 466 'aut qui vagitus similes'.

vellera[2]). Varro l. l. V 130 vellus. R. r. II 11, 9 'quam (lanam) demptam ac conglobatam alii vellera alii velamina (?) appellant'. Catullus pluralem effert proprio sensu 64, 319 et 330. Pluralis pro singulari usurpatur ab Ovidio epist. VI 14 de vellere aureo 'vellera fulva', i. V. p. De eadem re antecedit (v. 2) 'auratae vellere .. ovis'. IX 112 'leonis Aspera texerunt vellera'. XII 108 'quae raperes, vellera tuta dedi', item de ovi aurata; eodem sensu 200 'vellus' (ante voc.). A. a. III 336 'vellera germanae .. querenda tuae', et Met. VII 7 'Phrixeaque vellera poscunt'. VI 593 'lateri cervina sinistro Vellera dependent'; de Procnes vestimento quo nocte Baccho celebrata induta est. Fast. II 339 'hirsuta leonis Vellera', de uno vellere agi elucet e v. 325. III 852 'Phrixeae vellera pressit ovis'.

viae. Ovid. epist. XVIII 52 'ut tibi det faciles‿utilis aura vias', pps ad elisionem evitandam; de mari quaestio est, quod Leandro ut ad amatam perveniat, transnandum est.

---

1) Maas 525 n. Slotty 16. Bednara 551.
2) Slotty 10. Appel 23. Bednara 561.
3) Neue I 648.

vina[1]). Usus plurativus praevalet prae singulari; forma 'vinum' perraro legitur, hisce tantum locis: Catull. L 6. Hor. serm. II 2, 58. 4, 60. Epist. I 14, 24. Ovid. am. I 6, 37. 59. Met. VII 594. Fast. I 301. IV 935. Ex Pont. IV 2, 41. Pluralis invenitur apud Lucretium bis: II 391 'per colum vina videmus Perfluere' et VI 231 'vasis .. vina repente Diffugiant'. Contra gen. sing. 235 'primordia vini'. Vergilius pps ecl. V 71 'vina novom fundam .. Ariusia nectar'. Ge. II 97 'Aminneae vites, firmissima vina'. Ae. I 195 'vina ... cadis onerarat Acestes'. Ladewigus haec verba sic interpretatur: 'reichlich Wein in die Krüge füllen'. IV 455 'fusaque in obscenum se vertere vina cruorem'. V 98 'vinaque fundebat pateris', i. I. p. 238 'vina liquentia fundam'. 248. 776 eadem verba ac 238. VI 244 'frontique invergit vina sacerdos'. VII 134. VIII 275 'vocate deum et date vina volentes'. IX 319 'simul arma iacere Vina simul'; antecedit 316 'vino'. 350 'cum sanguine mixta Vina refert moriens'. Plurali vis generalis inest hisce locis: ge. I 132. 341. III 364. Ae. I 724. VII 147 aliisque. Tibullus plur. exhibet I 1, 24 'io messes et bona vina date'. II 1, 29 'vina diem celebrent'. Lyd. VI 20 'vina iocosa colunt', plur. proprio sensu. Propertius II 33, 35 'nil tibi vina nocent'. Ovidius epist. XIV 42 'quae tibi dederam, vina soporis erant'. Met. XII 322 'miscendaque ... cum Styge vina bibas'. Fast. V 511 'dat vina rubentia dextra'. 518 'promit fumoso condita vina cado'. 630 'in ornatum fundere vina focum'. 673 'vinis oculique animique natabant', cfr. eodem sensu 677 'convivae valido titubantia vino Membra movent'. IV 898 'redduntur merita vina Iovi'. II 579 'vina quoque instillat. vini quodcumque relictum est'. Ex Pont. II 1, 162 'fer ad magnos vinaque pura deos'. IV 2, 9 'quis Baccho vina Falerno'. Pluralis 'vina' saepissime legitur, sed difficile est omnibus locis pluralis naturam intellegere. Id tantum constat poetas e formis plurativis magis lucrari quam singularis formis. Qua re fit ut singularis 'vinum' rarissime obvius sit.

violae[2]). Pluralis inde a Vergilio. Forma 'vĭŏlă' non nisi ante duas cons. metro adaptari poterat; quare ei praeferunt poetae pluralis nominativum. Forma 'violas' imprimis

1) Neue I 600. Spitta 44. Maas 504 n. 521. 529. Bednara 551.
2) Maas p. 506. 16. 26. 28. Bednara p. 539.

ad elisionem evitandam. Abl. pluralis 'violis' omnino non legitur, pro eo exhibent poetae singularem. 'Violae' apud Vergilium ecl. X 39. Ae. XI 69. Priap. III 12 'luteae violae ... lacteumque papaver'. Ovid. fast. II 539 'violaeque solutae'. A. a. II 115. Fast. VI 469. Acc. plur. 'violas' Vergil. ecl. II 47 ante voc. Prop. III 13, 29 ante cons., concinnitatis causa. Hor. epist. II 1, 207 ante voc. Item Ovid. met. V 392, sed X 190 ante cons. Fast. I 346 ante voc.; item V 317. Contra acc. sing. trist. III 12, 5 et fast. V 272 ante voc.

vota[1]). pps primum Catullus usurpavit 66, 38 'caelesti reddita coetu Pristina vota'. Ovidius et sing. et plur. promiscue utitur prout metricae rationes postulant — sine significationis discrimine. Quare difficile est omnibus locis pro certo diiudicare pluralis utrum sit poetius an ad compluria vota spectet. pps pro certo dici potest met. II 89 'tua corrige vota', quo loco de Phaethontis prece agitur. IV 373 'vota', cfr. v. 370 sqq. VI 513 'mecum mea vota feruntur', cfr. 510 sqq. Fast. IV 895 'vota valent mĕlĭōră', de Aeneae promisso, cfr. 893; singularis mĕlĭŭs ad metrum non quadrat. Contraria ratione singularis metro poscitur trist. V 9, 22 plēnĭŭs'.

vulnera[2]). Lucretius promiscue utroque numero utitur, velut IV 1070 'prima novis conturbes volnera plagis'; eodem sensu praecedit 1068 'ulcus'. V 1321 'dabant in terram volnere victos', quamquam pluralem exspectamus. Vergilius eandem praebet rationem. pps his locis intellegendus est: A. IV 683 'volnera lymphis Abluam', quae Annae verba de Didone sua ipsius manu moriente intellegenda sunt. In irrisum cadit Spittae huius loci explicatio: pluralem adhibitum esse ad augendam notionis qualitatem ita ut volnera fere sint idem atque 'vulnus letale'. VI 446 'Eripylen Crudelis nati monstrantem vulnera cernit'. E. quae Amphiaraum maritum prodiderat a filio trucidata est. X 834 'volnera siccabat lymphis', cfr. 816. 848 'tuane haec genitor per volnera servor'; eodem sensu anteit 842 'ingenti volnere', i. V. p.; Spitta h. l. plurativum numerum 'grave periculosumque vulnus' significare censet. Ovidius pps a. a. III 744 'lacrimis vulnera saeva lavit'. Met. IV 140 'vulnera supplevit lacrimis', i. I. p.; eodem sensu dicit poeta 120 'ferrum

1) Appel 24. 27. Bednara 551.
2) Spitta 16. Braumueller I 32. Appel 23. Bednara 562.

... ferventi ... e vulnere traxit'. VII 849 'vulnera saeva ligo'; de eadem re 846 'vulnere'. X 187 'modo tristia vulnera siccat', eodem sensu sequitur 189 'erat immedicabile vulnus', quo loco pluralis propter attributum exhiberi non poterat: immedicabĭlĭă; de eodem vulnere etiam 197 sing. 'tuum, mea crimina, vulnus'. Fast. V 402 'vana vulnera mulcet ope', de uno tantum vulnere agi elucet e. v. 399. A. a. III 738 'fixisti pectus amicum: hic locus a Caephalo vulnera semper habet'.

ululatus[1]). Plur. inde a Catullo, qui eo utitur 63, 24 in galliambis 'acutis ululatibus agitant'. Vergilius singulari et plurali promiscue utitur: Ae. XI 190 acc. plur. 'ululatusque ore dedere'. VII 395 abl. plur. 'tremulis ululatibus aethera complere'. Contra abl. sing. Ae. IV 667 'gemituque et femineo ululatu', idem IX 477. Idem usus apud Ovidium obvius est. Nom. plur. met. XI 17 'plausus et Bacchei ululatus'. Ceteris locis abl. plur. occurrit praeter met. V 153 'ululatuque atria complent'. Epist. V 73 'implevique .. querulis ululatibus Iden'. Met. III 179 'subitisque ululatibus omne Implevere nemus'. 528 'festisque .. ululatibus agri'. 706 'longis ululatibus aether Movit'. VII 190 'ternisque ululatibus', i. V. p. XIV 405 'longis ululatibus orat'. Fast. IV 453 et VI 513 i. V. p.

umbrae[2]). Lucretius et Catullus pluralem non nisi proprio sensu exhibuerunt: de noctis et nocturna umbra aut de locis umbrosis. Poetae cum eius generis notiones exprimerent, et sing. et plural. numero usi sunt summo iure — in lingua Germanica similis dictio invenitur. Qua in dicendi ratione Vergilius illis poetis adserendus est, sed hic etiam ab illis differt cum primus umbrae vocis pluralem cum poetica illa licentia in usum vocaverit. Nam ubi de unius mortui simulacro — εἰδώλῳ — quaestio est, aut de viso quodam in somniis obvio exspectamus singularem, hic autem sibi concessit utrumque numerum. Ge. IV 501 de Euridices solius manibus 'praesentem nequiquam umbras et multa volentem Dicere'; pluralis ad elisionem evitandam. Contra A. II 772 eodem sensu, sed i. V. p. singul.: 'simulacrum atque ipsius umbra Creusae'; item IV 386 Dido de se ipsa: 'omnibus umbra locis

1) Neue I 648.

2) Heyne-Wagner IV 413—415. Spitta 13. 14. Braumueller 13. Slotty 27. 32. Bednara 539.

adero' et VI 289 gen. sing. 'forma tricorporis umbrae'. Sed plur. V 81 de Anchisae manibus: 'salve sancte parens ... cineres animaeque umbraeque paternae', plur. propter concinnitatem; 'ănĭmă' enim singulariter ad metrum non quadrat h. l. Eodem sensu plur. VI 510 'omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris', item X 519 'inferias quos immolet umbris', sc. Pallantis. et IV 571 de Mercurii umbra 'Aeneas subitis exterritus umbris'. Eodem sensu Ovidius plurali usus est: am. I 13, 3 'Memnonis umbris', plur. fortasse quia versus sequens a vocali incipit. Fast. V 451 'Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras‿Et'; eadem de causa ac supra; nam 457 sequitur 'umbra cruenta Remi' et 476 'effugit umbra (sc. Remi) manus'. VI 491 'Learcheas mater tumulaverat umbras‿Et'; item ad hiatum inter hexametrum et pentametrum evitandum. Saepius autem hoc sensu translato extat singularis.

umores[1]). Ovidius primum pluralem usurpavit — videlicet per analogiam vocum lymphae latices — semel ante voc. Abl. plur. met. II 237 'raptis umoribus aestu Arida'. Contra abl. sing. met. VI 354 'caret os umore loquentis', i. V. p. Gen. sing. met. IX 224 i. V. p. ante voc. Forma 'umor' am. II 6, 32. Met. I 30. I 417. III 411. XV 79. 246. Epist. XV 210. Fast. I 272. Ib. 31. Ex Pont. III 3, 97.

Nomina quae corporis partem quandam significant.

colla[2]). Catullus proprio sensu plural. 64, 38; ceteris locis singularem adhibet. pps inde a Vergilio, praecipue forma 'colla' i. V. p. adhibetur. Ge. III 421 'sibila colla tumentem', de vipera. Ae. II 381 'caerula colla tumentem', de angue. III 721 'subiectaque colla Veste', de Aenea. V 277 de serpente 'sibila colla Arduus attollens'. IX 331 'pendentia colla' de uno homine. Item X 838 'ipse aeger anhelans Colla fovet'. XI 497 de equo 'luduntque iubae Per colla per armos'. De uno homine XI 692 'qua colla sedentis Lucent'. De Camilla, Turni sorore 829 'paulatim exsolvit se corpore lentaque colla ... posuit'. Tibullus pps I 2, 90 (video) 'post Veneris vinclis

1) Deest apud Neuium.

2) Neue I 730. Maas 533. 41. Appel 23. Keller 208. Bednara 542.

subdere colla senem'. 4, 16 'sub iugo colla dabit', sc. puer amatus. P 170 'hinc et colla iugo didicit submittere taurus'. Propertius pps II 5, 14 'iniusto subtrahe colla iugo'. III 11, 37 de Pompeio 'tua ... socero colla daturus eras'. 29 de Baccho 'candida ... colla corymbis Cingit'. IV 3, 26 femina ad maritum in bello versantem scripsit 'haec noceant potius quam dentibus ulla puella Det mihi plorantes per tua colla notas'. IV 5, 39 'morsus circa tua colla recentes'. 6, 31 de Apolline 'attulerat crines in colla solutos'. 72 'blanditiaeque fluant per mea colla rosae'. IV 7, 18 (Cynthia) 'alterna veniens in tua colla manu'. 8, 77 Cynthia obiurgans poetae in theatro retro sese flectere ad feminas ex superioribus locis spectantes vetat hisce verbis: 'colla cave inflectas ad summum obliqua theatrum'. Ovidius pps am. I 4, 35 'sinito tua colla lacertis'. 5, 10 'Corina venit ... candida dividua colla tegente coma'. 8, 98 'factaque ... livida colla notis', sc. puellae collum. II 18, 9 'implicuit ... circum mea colla lacertos'. III 9, 11 'sparsi per colla (Cupidinis) capilli'. 14, 34 'collaque conspicio dentis habere notam', sc. puellae. Epist. II 141 'colla ... nectenda lacertis', sc. Phyllidis. IV 79 'equi luctantia colla recurvas'. VIII 93 'tua colla', i. V. p. XVII 164 'dominae ... colla tenenda dabo'. XVIII 103 'in tua ... veniunt alieni colla lacerti'. 198 (Heronis verba) 'collaque pulvino nostra ferenda dedi'. XIX 58 'in mea colla manus'. A. a. II 457 'candida ... cingantur colla (sc. puellae tuae) lacertis'. III 784 'colla reflecte comis'. Rem. 90 'et tua ... subtrahe colla iugo'. 530 'et tua ... sub pede colla premit'. 604 'digitos ad sua colla refert'. Met. I 734 'coniugis ... colla', i. V. p. II 100 'quid mihi ... colla tenes'. 637 'crines per colla iacebant', sc. Ocyrrhoes in equam mutatae. 830 'colla tenebat', sc. Aglauri. 854 'colla' i. I. p. de Iove qui in taurum se mutaverat. III 88 'laesaque colla dabat retro', de serpente. 169 'sparsos per colla (sc. Dianae) capillos'; eodem sensu 182 'collo'. 422 'eburnea colla decusque', de Narcisso; eodem sensu 428 i. VI. p. 'collum'. 726 'collaque iactavit', sc. Agaue. IV 335 'manus ad eburna colla (sc. pueri) ferenti'. 597 'assuetaque colla (sc. coniugis) petebat'. 599 'colla draconis', sc. Cadmi in serpentem mutati. VI 625 (Itys) 'adduxit colla lacertis'. 639 'colla (sc. Procnes) petentem'. IX 389 'per candida mollis Colla liber

serpit'. X 268 'adclinataque colla', de figura marmorea. 699 'levia fulvae Colla iubae velant', sc. Hippomenae. XII 400 'da colla caput' de centauro quodam. XIII 848 'turpis equus nisi colla iubae flaventia velent'. XIV 283 de comite quodam Ulixis 'colla tumere', i. I. p. Trist. III 5, 15 'bracchiaque accepi presso pendentia collo'. IV 2, 5 collum'. IV 6, 2 (taurus praebet) 'colla premenda iugo'. V 2, 40 'subtrahis ... colla iugo'. Ex Pont. II 9, 58 'collaque velocis ... equi', i. I. p. III 7, 16 'subtrahit (sc. taurus) 'colla novella iugo'. Fast. II 739 'nurus ... fusis per Colla coronis'. III 376 'iuvenca Quae dederat nulli colla premenda iugo'. 450 'Gorgonei colla videbis equi'.

corda[1]). Lucretius plur. proprio sensu, Catullus singularem tantum profert. pps inde a Vergilio. Ae. I 722 (Dido) 'temptat praevertere amore ... desuetaque corda'. VI 49 de Sibylla 'pectus anhelum et rabie fera corda tumunt'; de eadem 80 'os rabidum fera corda domans', et 407 'tumida ex ira tum corda residunt'. VIII 265 de Hercule 'nequeunt expleri corda tuendo'. Tibullus pluralem non nisi proprio sensu adhibet; formam 'corda' invenis sic III 2, 6 et 6, 13; idem semel acc. sing. 'cor' praebet III 5, 12 et abl. sing. I 1, 64 et 10, 12. Item Propertius nusquam pps usurpavit. Ovidius pps epist. IV 156 Phaedra ad Hippolytum 'duraque corda doma'. Trist. III 2, 16 'fallebat curas aegraque corda labor'. Ib. 170 'scindent ... perfida corda canes', quae verba ad Ibim spectant. Fast. III 331 'corda micant regis' (Numae) i. I. p. Ceteris locis — praeter eos ubi plur. extat proprio sensu — singularis formae in usum vocantur: epist. VI 76 'cor', idem XV 79 et met. V 384. VI 282. IX 178. XII 420. Trist. IV 1, 97. V 8, 28. Ex Pont. I 3, 32. Fast. VI 161. Gen. sing. velut epist. XVI 102. Abl. sing. met. VI 266. Trist. III 5, 57.

corpora[2]). Cicero pluralis exempla praebet in Arateis — 91, 103, 435 —, sed cum his locis pluralis ad coeli signum, quod videlicet e singulis stellis i. e. corporibus constat, revocandus sit, pluralem poetica cum licentia positum non esse apparet. Catullus 66, 32 quamquam de multis dicit, singu-

---

1) Maas 538. 541. Spitta 48. Norden 137. Bednara 556.

2) Appel 22. 25. Keller 203. Maas 537 n. Bednara 556.

larem praetulit — nimirum in ablativo. Prima pluralis poetici exempla in Culice carm. invenis: 93 'levet languentia corpora somno'. 203 'cuius .. intravit .. per corpora somnus'. 368 'Flaminius devota dedit .. corpora flammae', i. e. se ipsum. — Quia in Aeneide huius nominis pps obvius non est, Maasius carmen illud (Culex) non a Vergilio compositum esse concludit. Utrum recte an non, ego diiudicare non audeo. In pluralis poetici usu sequitur Tibullus qui item tria exempla praebet: I 8, 52 'nimius luto corpora cingit amor', quae Pholoae verba referenda sunt ad puerum Marathum, qui in gravem puellae amorem inciderat. Dissenus ad h. l. adnotat 'corpora, corpus, ut Graeci σώματα, πρόσωπα alia dicunt; nunc os maxime intellegitur'. I 9, 73 puellae quae adulescenti 'vult bella videri' fugit 'corpora foeda podagra Et senis amplexus'; corpora i. 'mariti podagri ac senii'. III 17, 3 'mea nunc vexat corpora fessa color'. I 2, 25 plurali generalis vis inest. Ovidius pps am. II 10, 24 'non nervis corpora nostra carent', poeta de se ipso, cfr. 28 'corpore'. III 7, 28 'mea ... languent devota veneno Corpora'. Epist. III 145 'pete corpora ferro', quae Briseidos verba ad eam ipsam pertinent. VI 130 'fratris lacerata per agros Corpora', de Medeae fratre. VIII 113 'corpora tacta relinquo', cfr. 112 'Scyria membra', quae verba ad Pyrrhum Achillis filium referenda sunt. XII 47 'tua corpora', i. V. p., sc. Iasonis. XIII 32 Laudamia de se ipsa 'corpora veste tegi'. 148 'excipietque suo corpora lassa sinu'; 'corpora l.' i. e. maritus qui defatigatus e pugna revertit. XIV 126 de Hypermnestra 'defunctaque vita Corpora'. XVI 253 'tua corpora', i. V. p., de Paride. Sapph. 178 'et mea .. corpora pondus habent'. Med. 70 'infantis corpora', p. pent. caes. A. a. I 252 'consule de facie corporibusque diem', sc. puellae. 728 'tua .. Candida sin fuerint corpora, turpis eris'. II 68 'perque novum timide corpora librat iter', sc. Daedalus. III 269 'tangat sua corpora virgis'. 314 'sua Sisyphides (sc. Ulixes) Corpora'. 743 'dominae morientia corpora', i. V. p. Met. I 527 'nudabant corpora venti', sc. Daphnes. II 326 'fumantia flamma Corpora', sc. Phaethontis. IV 578 'nigraque ... corpora guttis', de Cadmo. V 461 'stillatus corpora guttis', de filio cuiusdam anus in stellionem mutato. VIII 236 'corpora nati', sc. Icari. 256 'sua corpora tollit'. 416 'corpora versat in orbem', sc. aper Calydonius. 594 'periturae corpora natae'. X 128 'posuit sua

corpora terra Cervus'. XI 564 'agant sua corpora fluctus', sc. Ceycis. XII 413 'flumine corpora tinguat', de Centauro quodam. 490 'nostro tua corpora ferro Temptemus'. XIII 847 Cyclops de se ipso 'nec mea ... densissima saetis Corpora'. XIV 427 'longa ponentem corpora ripa', de Canente. Trist. I 2, 39 'iactari corpora ponto', poeta de se ipso dicit. III 3, 39 'mea ... languescunt corpora leto'. 8, 24 'mihi ... corpora languor habet'. IV 3, 42 'corpora nostra', i. mea, i. V. p. Ib. 412 'Corpora Thesea Cercyonea manu'. 450 'corpora ... quae sua purgat aqua'. 606 'corpora ... tua virus edat'. Fast. II 596 'ne sua fluminea corpora mergat aqua', de nympha quadam agitur. IV 143 'texit sua corpora myrto', sc. Venus. V 414 'corpora cinctus erat', sc. Chiron. Nonnumquam pluralis propter attributum adhiberi non potest, velut Met. IV 158 'miserabĭlĕ corpus', cfr. miserabĭlĭă. XV 89 'ăvĭdum c.', cfr. ăvĭdă. A. a. II 474 'rŭdĕ c.', cfr. rŭdĭă. et alia exempla.

d i g i t i. pps semel apud O v i d i u m legitur am. II 15, 20 'adstringens (anulus) digitos‿orbe minore tuos'. Eodem sensu 22 'digitus'.

g u t t u r a. pps inde a P r o p e r t i o qui eo semel utitur IV 5, 66 'columbae .. ante tuos guttura secta focos'. Quo in usu sequitur O v i d i u s met. VII 314 (ovis) 'margentia guttura cultro Fodit'. X 22 'Medusaei vincirem guttura monstri'. XI 753 'ostendens spatiosum in guttura mergum'. XII 458 (Hodites) 'mentoque ad guttura fixo'. XIV 523 'nec prius os tacuit quam guttura condidit arbor'. XV 464 'vituli .. guttura', i. V. p.

i u b a e[1]) — *χαῖται*[2]), *ἔθειραι*[3]). pps primum a V e r g i l i o usurpatur Ae. XI 497 ubi de uno tant. equo agitur: 'luduntque iubae per colla, per armos'. O v i d i u s pps am. III 5, 24 'albentis‿abstulit ore iubas'. Met. II 674 'in dextras‿abiere iubas', de Ocyrrhoe agitur. Nulla cogente causa a. a. I 544 'pressas continet arte iubas'.

m e d u l l a e[4]). Quod nomen quamquam paucis locis — Plaut. Stich. 341. Enn. A. 308. Catull. 35, 15. Ovid. am. III

1) Hailer 14. Bednara 537.
2) Witte 20. 74.
3) Witte 20.
4) Slotty 9. Bednara 537. 38.

10, 27. Met. IV 744 — singulariter invenitur, tamen plurale tantum fuisse censeo. Illa singularis exempla pro exceptionibus habenda sunt. Cicero non nisi numero plurativo utitur — quinquies Tusc. disp. IV 27; V 27; Phil. I 36; ad Att. XV 4, 3; ad fam. XV 16, 2, ubi legis 'mihi haeres in medullis'. Apud Lucretium pluralem legis III 250 'ossibus atque medullis', i. VI. p. Apud Catullum 55, 30. 66, 23. 64, 93. 196. 68, 3. 100, 7. Vergilius pluralem exhibet: Ge. III 271 'avidis‿ubi.. flamma medullis'. Ae. IV 66 'est mollis flamma medullas'. VIII 389 'medullas‿intrat calor'. Lygd. I 25 'teque suis‿iurat caram magis esse medullis'. Propertius I 9, 21 'pueri arcum sentire medullis Et'. II 12, 17 'tibi incommodumst siccis‿habitare medullis'. Ovidius met. XIV 351 'per totas ... medullas'. 431 'liquefacta medullas Tabuit'. XV 390 'mutari .. humanas‿angue medullas'. Trist. I 5, 9 'mihi ... erunt imis infixa medullis'. Met. I 473 'laesit Apollineas (ante cons) medullas'. XIV 208 'cumque albis‿ossa medullis'. IX 174 'medullis Tabe liquefactis'. IX 484 'iacui totis resoluta medullis'. Epist. IV 15 'nostras‿avido fovet igne medullas'. Am. II 19, 43 'mordeat ... tuas‿aliquando cura medullas'. III 10, 27 'tenerae ... medullae'; cfr. sing. 'tĕnĕră'. A. a. III 215 'mixtas cervae ... medullas'.

membra[1]). pps ad mentulam denotandam inde a Catullo qui eo semel utitur, 63, 6. Ceteris locis pluralis proprio sensu. Item Tibullus ad 'notam virilem' significandam pps profert I 4, 70 'secet ad Phrygios vilia membra modos'. Ceteris locis plurali vis propria (de membris omnibus) inest. Ovidius pps am. II 15, 25 'te nuda mea membra libidine surgent'. III 7, 13 'tacta... mea membra cicuta Segnia propositum destituere meum' et 65 'nostra tamen iacuere velut praemortua membra'. A. a. II 715 'ad tua victrices membra venire manus'. Ib. 453 'seces... ad Phrygios vilia membra modos'; nescio an Ovidio Tibulli I 4, 70 ante oculos fuerint? Fast. IV 221 'unde venit ... sua membra secandi Impetus', item de mentula. 244 plurativo sensu cum de compluribus agatur 'mollesque ministri Caedunt iactatis vilia membra modis'.

menta. pps inde a Vergilio. Ae. VI 809 de rege Numa Pompilio 'incanaque menta'. Contra ge. III 311 pluralis

---

1) Appel 61. Meyer 134. Maas 543. Slotty 13. Bednara 545.

proprio sensu intellegitur. Poetae elegiaci hoc nomen in usum non vocant, Ovidius singulariter tantum.

ora[1]). Cuius vocis plur. poeticum induxit Vergilius. Sensu plurativo invenitur apud Ennium A. 561 'ora decem'; var. 17 'ora virum'. Idem usus obvius est apud Plaut. et Lucret. et Catullum 40, 5 'ora volgi'. Sed in admirationem nostram cadit quod neque poetae illi neque scriptores (ante Apuleium quidem) hoc vocabulo pluraliter nisi in nom. et acc. exhibent et quasi reformidant a pluralis genetivo et ablativo, etiam tum cum illos plurativi numeri casus postulamus. Quam rem paucis exemplis, quorum compluria collecta invenies apud Neuium (I 750) fulciamus. Cic. pro Rosc. Amer. VI 16 'in ore omnium versabatur', pro Scau. II 50 'in omnium animis atque ore versaris'. Lael. I 2 'multis erat in ore'. Liv. VI 17, 2 'ab ore civium'. Tac. dial. 37 'in ore hominum'. pps Vergilius ge. III 188 'det ... ora canistris Invalidus'. IV 452 Proteus 'fatis ora resolvit'. Ae. II 663 Pyrrhus 'gnatum ante ora patris' interfecit. I 354 de Sychaeo 'ora modis attollens pallida miris'. I 658 'faciem mutatus et ora Cupido'. II 247 'aperit Cassandra futuris Ora . . . credita', i. V. p. III 425 'Scyllam ... Ora exertantem'. De Apollinis sacerdote III 457 'ora resolvit'. III 490 Astyanax 'sic ora ferebat'. IV 673 Anna 'unguibus ora ... foedans'. 499 Didoni 'pallor ... occupat ora'. V 369 'effert Ora Dares'. 477 'ora iuvenci'. VI 102 de Sibylla 'rabida ora quierunt'. 108 de Anchisa 'genitoris et ora'. 191 'lacerum crudeliter ora Ora manusque ambas'. 604 Tantalo 'epulaeque ante ora paratae'. 688 de Aenea 'datur ora tueri nate tua'. VII 250 Latinus 'obtutu tenet ora'. 575 'foedatique ora Galaesi'. VIII 229 Hercules 'huc ora ferebat et illuc'. IX 181 Euryalus 'ora puer primum signans intonsa iuventa'. 251 'ora rigebat', sc. Aletes. X 415 'ora Thoantis'. 728 de leone 'lavit improba taetra Ora cruor'. 790 'lacrimaeque per ora volutae', sc. Lausi; de eodem 821/822 'morientis et ora, Ora modis .. pallentia miris'. XI 39 'caput Pallantis et ora'. 698 'rigat ora cerebro', sc. Orsilochi. 819 de Camilla 'color ora reliquit'. XII 66 de Lavinia 'rubor ... per ora

1) Neue I 749/750. Spitta 20/21. Appel 25. Landgraf 69. Maas 530. 40. 41. Bednara 560.

currit'; de eadem 69 'ore', i. V. p. XII 82 Turnus 'equos tuens ante ora frementis'. 652 'Saces ... saucius ora'. 335 'Formidinis ora'. 865 'Turni ... ob ora'. 871 'unguibus ora soror foedans'. Copa 33 'ora puellae'. Tibullus pps I 8, 32 'cui levia fulgent Ora'. III 5, 14 (Lygd.) 'impia ... solvimus ora', i. V. p. et 25 'mea rugosa pallebunt ora senecta'. Abl. sing. saepius. Propertius pps I 6, 16 Cynthia 'ora notet manibus'. II 30, 18 'turpia ... faceret Palladis ora tumor'. 33, 11 de Ione 'laesisti frondibus ora'; de eadem 13 abl. sing. III 3, 5 poeta de se ipso 'admoram fontibus ora'; item 52 'ora Philetaea nostra rigavit aqua'. 7, 56 de Paeto 'moribunda ... clauserat ora liquor'. 8, 6 'mea ... unguibus ora nota'. 15, 4 'molliaque ... fixit in ora manus'. 38 'sub trucis ora bovis'. III 22, 8 de Medusa 'Phorcidos ora', i. V. p. IV 1, 93 'saucia protegit ora'. IV 4, 34 'ora Tati'. 7, 10 'triverat ora liquor', sc. Cynthiae; de eadem 8, 64 'Aurea sauciat ora manu'. IV 9, 21 de Hercule 'torquet sitis ora palato'. Ovidius pps am. I 2, 15 'equus ... contunditur ora lupatis'. 2, 40 triumphanti 'spargit in ora rosas'. 7, 57 'lacrimae fluxere per ora', sc. puellae laesae. 8, 35 'decet alba ... pudor ora', fortasse generaliter. 14, 51 puella 'oraque dextra Protegit'. II 5, 34 puellae 'venit in ora pudor'. 6, 30 'poteras ora vacare cibos', sc. psittace. 62 eodem sensu 'ora fuere mihi ... docta loqui'. 13, 11 'Anubidis ora verendi'. 15, 17 'umida ... ora puellae'. III 6, 52 'ora vadis'. 6, 78 fort. generaliter. 9, 12 'oraque', i. I. p., sc. Cupidinis. Epist. IV 46 'ora fugacis equi'. 72 'tinxerat ora rubor', sc. Hippolyti; de eodem 78 'ore' i. V. p. 82 'ora ... in se versa lacertus habet'. V 142 Oenone de se ipsa 'oraque sunt digitis aspera facta meis'. VI 63 'lacrimis in falsa cadentibus ora', sc. Iasonis. VIII 57 'ora mihi ... cum mente tumescunt'. XI 28 de Canaca 'sumebant ... ora coacta cibos'; de eadem 27 'ore' et 50 'oraque clamantis', i. I. p. XII 63 de Medea 'in ora iacentem'; item 154 'tuta nec a digitis ora fuere meis'. XIV 108 'exuit insana paelicis ora bove'. XV 241 'ora reflexi', sc. Paris. XVIII 26 'ora', sc. Leandri, p. pent. caes. XIX 5, 82 de Acontio 'oraque ... digitis livida nostra tuis'. XX 168 'transit in ora rubor', sc. puellae; item 171 'nostraque ... super ora'. 217 'candida ... ora rubore', sc. Cydippae. Sapph. 132 'ora' i. V. p. A. a. II 92 'ora' p. pent. caes., de

Icaro. III 287 'distorqueat ora cachinno'. 678 'illius ora', i. V. p. 726 'oraque' i. I. p. 730 i. V. p. 756. Rem. 230 'ora levabis aqua'. 351 'conlinit ora (puellae) venenis'. Met. I 93 'iudicis ora' 181 'ora indignantia solvit', sc. Iuppiter. 339 'ora dei madida rorantia barba'. 484 'suffunditur ora rubore', sc. Daphne. 538 'tangentiaque ora relinquit'. 552 i. I. p. II 81 'ora Leonis'. 122 'ora sui ... nati', in sequenti versu adiectum 'patentia', i. V. p. 283 'presserat ora (Telluris) vapor'; item 284 'super ora favillae'; sed 303 'rettulit os in se'. 324 de Phaethonte 'fumantiaque abluit ora'. 355 'ora vocantia matrem', sc. Phaethusae. 481 'ora ... fieri deformia rictu', Callistonis. 831 'oraque duruerant', sc. Aglauri. 861 'ad candida porrigit ora', sc. Iovis qui in taurum se mutaverat. III 187 Diana 'oraque retro Flexit'. 202 de Actaeone in cervum mutato 'lacrimaeque per ora Non sua fluxerunt'. 295 'ora loquentis'. 393 'pudibundaque frondibus ora', sc. Echo; cfr. 423 'oris'. IV 134 'oraque buxo Pallidiora gerens', sc. Thisbe. 265 'ora dei', i. I. p. 268 in fine versus. 329 'pueri rubor ora notavit'. 519 'infantia saxo Dicutit ora'. 582 'ora' i. VI. p., sc. Cadmi. 595 'coniugis ora'. 656 Medusae 'squalentia protulit ora'. 716 'saeva retorqueat ora'. 743 'ora Medusae'. V 58 'ora' i. V. p. de uno homine. 180 'gorgonis extulit ora'. 194 adapertaque velle Ora loqui', sc. Nilei. 248 'oraque regis Ore Medusaeo silicem ... fecit'. 332 'vocalia moverat ora', de una Pieridum. 446 'oraque nulli', sc. Cereris. VI 46 'invita notavit Ora rubor', de Arachna. 226 'spumantiaque ora coërcet', sc. equi. 294 'ora compressit', i. I. p., sc. una Niobidarum. 604 'oraque develat . . . pudibunda sororis'. 659 'in ora patris'. VII 88 'mortalia demens Ora videre putat', Medea de Iasone; item 111 'venientis ad ora', sc. Iasonis. 190 'ora Solvit', sc. Medea. 274 'ora caputque ... cornicis'. 783 'decipit ora sequentis'. VIII 34 'equi spumantiaque ora regebat'. 115 patris (sc. Nisi) ad ora'. 229 'oraque (sc. Icari) ... patrium clamantia nomen'. 429 'insignia dentibus ora', sc. apri Calydonei. 819 'viro pectus et ora ... afflat'. 840 'Erichthonis ora profani'. IX 369 'oraque praestant Vocis iter', sc. Dryopis; de eadem 392 'desierant simul ora loqui'. 399 'oraque' i. I. p., de Iolao. 427 'sua Iuppiter ora Solvit'. 515 'pudor ora tenebit', sc. Byblidis; de eadem 648 'pectus et ora leae; sed 651 i. V.

p. 'ore'. X 291 'oraque tandem Ore suo non falsa premit'; de Pygmalionis statua. XI 8 'vatis Apollinei vocalia misit in ora', i. e. Orphei. 163 'ora retorsit Tmolus ad os Phoebi'. 342 'oraque adunca dedit'; sc. Daedalioni, i. I. p. 417 de Alcyona 'ora' i. VI. p. et 419 i. V. p. 572 'texit sua nubibus ora', sc. Ceyx. 657 'ora' i. V. p. de Somni filio. 665 'oraque nostra ... clamantia nomen', de Ceyce. 681 'percutit ora manu', sc. Alcyonae. XI 726 'ora comas vestem lacerat', sc. Alcyonae; et 715 i. I. p. XII 133 'ora viri ... pulsat'. 233 i. V. p. 237 'adversaque misit in ora', de Euryto; cfr. 239 'ore vomens'. 295 'condidit ora viri perque os in pectora flammas'. 348 'vultum minitantiaque ora'. 413 'fontibus ora levat'. 479 'iuvenis ferit ora sarissa'. 516 'super ora caputque', sc. Caenei. 563 'viri .... ora'. XIII 127 'resolvit Ora sono', sc. Ulixes. 733 'virginis ora gerens'. XIV 174 'Cyclopis in ora'. 238 'Laestrygonis impia tinxit Ora'. 843 'coniugis ora'. XV 38 'tollens reus ora manusque'. 73/74 'ora Docta quidem solvit'; sc. Pythagoras. 143 'deus ora movet, sequar ora moventem'. XV 685 'oraque retro Flexit'. Trist. I 2, 14 'spargunt ora loquentis aquae'. 3, 90 'hirta per ora comis'. 5, 30 'nostraque sunt ... ora minora tuis'. 7, 8 'cara relegati ... ora vides'. III 3, 41 'lacrimis in nostra cadentibus ora'. Contra 4, 38 'ore fuisse meo'; sed 39 'nostra ... super ora cadentes'; et 5, 14 eodem sensu 'ore'. III 8, 10 'coniugis ora meae'. 28 'inerat ora cibus', sc. poetae. 10, 9 'hiems squalentia protulit ora'. 11, 20 'aliquis ... solvat ... in mores ora diserta meos'. IV 2, 34 'squalida ... tegit ora comis'. 3, 150 'subit ora rubor', de poetae coniuge; eodem sensu 70 'fiat in ore rubor'. IV 7, 11 'ora Medusae'. Ib. 230 'pueri venit in ora cibus'. 316 'tua ... devoret ora cinis'. 553 'ora Medusae'. 592 'tua ... strangulet ora liquor'. 597 'super ora Gigantis'. Ex Pont. I 2, 104 'ora resolve'. II 1, 22 'ad ducis ora sui'. 3, 40 'mergere ... ora natantis aquis'. 5, 47 'mortaliaque ora quierunt', sc. Germanici; de eodem 53 'os caeleste solutum'. 7, 72 'Sarmatis ora' (generaliter). 8, 8 'nostra sub ora', i. V. p., sc. poetae. 11, 9 'ora rigabas'. III 3, 17 'super ora capilli', sc. Amoris. Fast. I 141 'ora ... Hecates in tres vertentia partes'; fort. proprio sensu? 375 'oraque ... rorantia barba', sc. Protei. 458 Delphinus 'exerit ora vadis'. II 819 'pudibundaque celat

amictus Ora', sc. Lucretiae. III 84 'Pinigerum Fauni ... ora caput'. 563 'cineres ad ora relatos Pressit'; sc. Anna, Didonis soror. 754 'oraque sima notant', sc. Bacchi; item 756 'turgentiaque ora parentis' et 760 'linit ora luto'. IV 294 'ad Tusci fluminis ora venit', sed fortasse de compluribus fontibus cogitandum est. 491 'ora Typhoëos'. V 124 'ad Iovis ora tulit'. 165 'ora micant Tauri', i. I. p. 503 generaliter. 638 'raucaque dimovit ... ora sonis', sc. Thybris. VI 249 'tibi ... operata resolvimus ora', sc. poetae, cfr. 251. VI 502 'Thybridis ora tenent'. 580 'oraque ... tecta toga', sc. deae cuiusdam. 608 'duc ipsa per ora rotas', sc. Tullii. 616 'ora nefanda' p. pent. caes., sc. Servii; cfr. de eodem 619 'ore revelato'. Contra singularis ponitur ubi pluralem exspectamus, velut am. III 12, 36 'qui vomerent flammas ore, fuisse boves'; item III 13, 29 'ore favent populi'. Met. II 85 'ore' de Solis equis. Trist. III 14, 23 'populi ... in ora', sed 24 'in populi ... ore'. Pluralis 48 'populi ... per ora'. Ex Pont. III 1, 134. Ib. 98 'ore favete'. Fast. I 444 'dulces editis ore modos', item 448. Saepius pluralis propter attributum adhibetur, velut met. IV 134 'ora ... pallidiora', cfr. pāllĭdĭūs. Contraria ratione singularis nonnumquam attributi causa postulatur, ut exemplum afferam cfr. met. V 234 'os ... tĭmĭdum', plur. tĭmĭdă; item met. XI 57 'expŏsĭtum', cfr. expŏsĭtă.

pectora[1]) — στήθεα[2]), στέρνα[3]), pps inde ab Homero — apud Romanos pps Cicero primum sibi permisit in Arateis 461; quod ut auderet, cum metri necessitate tum Graecorum imitatione impulsus est, quia in exemplari Graeco v. 671 pps στήθεα extat. Idem abl. pectoribus v. 267 pro sing. in usum vocat. Praeterea Cicero pps usurpavit de nat. deor. II 109 'namque virum medium serpens sub pectora cingit' (qua in lectione cum Maasio facio contra Baehrensium qui 'pectore' scribendum esse censet). Graecorum imitatio perspicua est Tusc. II 22 'o pectora, o terga, o lacertorum tori'. Quin huic versui — qui est latine redditus ex Soph. Trach. 1080 ὦ νῶτα καὶ στέρν', ὦ φίλοι βραχίονες — singularis formas 'o pectus,

1) Appel 23. 71. Maas 534—47. Hailer 15. Bednara 560.
2) Witte 18. 64. 67.
3) Witte 19. 53—55. 56. 57.

o tergum, o lac.' immitteret, nihil Ciceronem impedivisse apparet nisi exemplar Graecum ipsum. Quodsi Prisciano fidem habemus, iam Livius Andronicus huius vocis pluralem usurpavit, qui dicit 'at celer hasta volans perrumpit pectora ferro'. Quae res miri nihil praebere videtur, quia poeta ille Odysseam Homericam vertit, ubi non raro formae στήθεα vel στήθεσσι pro singularibus congruentibus obviam fiunt. Tamen pro certo apud illum poetam res diiudicari non potest, cum versus supra commemoratus non in ea forma servatus sit, qua utebatur Livius — nimirum in versu saturnio. Permulti viri docti in illo versu recte emendando atque metro saturnio adaptando operam consumpserunt maximam, sed, ut mihi videtur, non eo eventu, qui ad spem nostram responderet; immo vero hoc conicere possumus: iam illum poetam poetica cum licentia hoc vocabulo usum esse — quamcumque emendationem viri docti protulerunt, nemo hoc nomen e versu eiecit. Lucretius pluralem non nisi proprio sensu profert, velut III 297; quodsi eodem sensu duobus versibus infra ablativus singularis (de compluribus) adhibetur — videlicet i. V. p. — nos minime offendit, cum formae plurativae — accusativo et nominativo plur. excepto — etiam a scriptoribus evitarentur. Eodem modo Catullus plurali et singulari promiscue utitur. Plur. extat 64, 351 i. V. p., sed sing. 383, ubi pluralem exspectamus, et 194 gen. sing. ante voc. de Eumenidibus. T i b u l l u s pps semel sibi permisit I 7, 40 'Bacchus .. confecta labore pectora tristitiae dissolvenda dedit'. Sed sing. nom. I 6, 18 et 49. Abl. sing. I 4, 12. Lygd. I 20. IV 84. S. 17, 6. P r o p e r t i u s bis pps exhibet II 24, 52 'me ... plangas pectora nuda comis', et III 8, 8 'fac meo recisso pectora nuda sinu'. V e r g i l i u s pps Ae. I 355 Sychaeus 'traiectaque pectora ferro Nudavit'. IV 673 'ora soror foedans et pectora pugnis'. V 816 'deae permulsit pectora dictis'. VII 349 'ille inter ... levia pectora lapsus'. VIII 29 'Aeneas ... turbatus pectora bello'. 267 'voltum villosaque saetis Pectora semiferi'. IX 432 'candida pectora (sc. Euryali) rumpit'. X 85 Aeolus 'pectora .. foedans pugnis', i. I. p. XII 541 'dedit obvia ferro Pectora'. 871 'unguibus ora soror foedans et pectora pugnis'. O v i d i u s pps am. I 2, 8 'possessa .. pectora versat Amor', sc. poetae. Anteit v. 7 'in c o r d e sagittae haeserunt'. II 10, 31 miles 'induerat ... contraria pectora telis'. III 2, 40

poeta de se ipso 'captaque ... pectora torret amor'. III 5, 23 'bovis ... pectora rostro Fodit'. Eodem sensu 26 'in vaccae pectore livor erat' et 24 'ore'. Sed 39 denuo pps 'pectora .. rostro cornix fodiebat'. III 6, 58 de Ilia 'pectoraque insana plangis aperta manu'; de eadem et 81 'supposuisse manus ad pectora .. amnis'. III 9, 10 Cupido 'pectoraque infesta tundat aperta manu'. III 9, 42 de Tibullo 'pectoribus pasci nec timuere tuis'. Epist. III 50 'cruenta Pectora iactantem sanguinulenta virum'. IV 20 de Phaedra 'pectora vulnus habent'. V 71 'pectora' de Oenona i. I. p. VII 189 'mea ... primum feriuntur pectora telo'. VIII 58 de Hermiona 'pectoraque inclusis ignibus usta dolent'. X 15 i. V. p. 'pectora' de Ariadna; item 145 'lugubria pectora'. XI 58 de Canaca 'pressa refovisti pectora nostra', item 91, et 98 'pectoribus .. meis', i. I. p. XII 153 de Medea 'planxi mea pectora veste', item 170 'miserae pectora somnus habet' et 211 'mea pectora' i. V. p. XIII 30 Laudamia de se ipsa 'pectora ... casta momordit amor'. XV 249 'tua pectora', sc. Helenae, i. V. p., item 251 i. I. p. 278 Paris de se ipso 'districta sagitta Pectora'. XVI 92 'pectora nostra capi', sc. Helenae. Contra 111 'pectus' in versus fine et 136 'pectus amem'. Item de Helena 178 'pectora nostra labant'. XVIII 62 de Leandro 'pectora ... iuncta', subst. i. I. p., attrib. p. pent. caes. XIX 198 'anxia .. vitae pectora nostra tuae', sc. Acontii pectus. Sapph. 117 'pectora plangi', sc. Sappho; eodem sensu 112 'pectus' ante voc. i. V. p. et 122 de eadem 'pectus aperta sinu'. 170 'lentissima Pyrrhae Pectora'. 191 'mea pectora', eodem sensu 212 'pectora nostra'. A. a. I 22 'mea vulneret arcu Pectora'. 535 de Ariadna 'tundens mollissima pectora palmis'. II 195 'te .. iubeo .. Pectora praebere sagittis'. III 781 'cui .. carent .. pectora menda'. Rem. 19 'fodit sua pectora ferro'. 427 'quo tua ... offendi pectora facto'. Met. II 93 'oculos in pectora posses Inserere', de Solis pectore. 504 'fixurus pectora telo', sc. Callistonis in ursam mutatae. 584 de Corone 'pectora' i. V. p. De eadem 585 'pectora nuda gerebam'; item 605 'traiecit pectora telo'. 626 'in pectora fudit odores'. 656 'suspirat ab imis Pectoribus'; abl. plur. qui non ita saepe invenitur quam abl. sing. 705 (senis) 'periuraque pectora vertis'. 777 'pectora felle virent', sc. Invidiae, de qua anteit 'ore' et 'corpore toto'. 827 'in pectora' sc. Aglauri, i. V. p. 866 de Iove qui in taurum

se mutaverat 'pectora praebet'. III 481 de Narcisso 'percussit pectora palmis', et 482 i. I. p. 'pectora ... percussa'. 631 de Baccho 'pectora', i. V. p. IV 359 'invitaque pectora (sc. pueri) tangit'. 493 de Erinye 'pectora' i. V. p. 555 i. V. p. de uno pectore, et 590 (de Cadmi coniuge). V 36 'pectora rupisset', i. I. p., sc. Phinei. 185 'animi plenissima magni Pectora Lyncidae'. 473 Ceres 'percussit pectora palmis'. VI 248 Alphenor 'laniataque pectora plangens'. 281 de Latona 'tua pectora', i. V. p. VII 8 'mea pectora', i. V. p. VIII 64 'tua p. Minos'. 440 'pectora Plexippi .. timentia'. IX 51 'mea p.', i. V. p. 625 'pectora nostra', sc. Byblidis; de eadem 636 'pectore' i. V. p., et 648 'pectus et ora leae'. X 282 'pectora', sc. statuae marmoreae. 496 de Myrrha 'pectoraque obruerat', i. I. p. et 700 i. V. p. de Hippomena. 725 'percussit pectora palmis', de Atalanta. XI 411 'anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx'. 620 'summaque .. pectora', i. I. et V. p., de Somni deo. 681 'laniataque a pectore vestes Pectoraque ipsa ferit', sc. Alcyone. XII 112 'subiectaque pectora rupit', sc. Menoetae. 234 'generosaque p. pulsat', sc. Euryti. 255 'deictoque in pectora mento', sc. Centauri. 295 de uno viro 'perque os in pectora flammae'. 330 'immissa Petraei Pectora .. luctantia'. 351 'pectora', sc. Hippasonis, i. V. p. 398 'pectoraque .. proxima', de Centauro; item 402. 420 'inferius quam collo pectora subsunt Te fixit'. XIII 265 'haec sunt Pectora .. exercita rebus', Ulixes de se ipso; item 369 'in corpore nostro Pectora sunt potiora manu'; cfr. sing. pŏtĭŭs. 491 de Hecuba 'consuetaque p. plangit', de eadem 493 'pectore' i. V. p. XV 636 'pavefactaque p. movit', sc. viri cuiusdam Romani. Trist. I 3, 8 de poeta 'torpuerant ... pectora nostra mora'; eodem sensu I 5, 6 abl. sing. p. pent. caes. et I 6, 3 'pectoribus ... nostris ... inhaeres'; dat. plur. quia sing. ad metrum dactyl. non quadrat. Trist. I 9, 40 'maestissima casu Pectora processu facta serena tuo'. III 3, 48 de poetae uxore 'feris pavida pectora fida manu'. III 4, 63 'pectoribus nostris (i. meo pect.) haeretis' (dat. plur.). 69 'intra mea pectora'. III 5, 20 abl. plur. 'pectoribus .. teneo .. meis', et III 6, 18; contra 25 'in pectore nostro', i. meo. III 11, 35 'satia tua pectora', i. V. p. Idem IV 1, 9. 43. IV 5, 17 'intra tua p. gaude'. V 13, 20 'pectoris esse tui'. 9, 7 et V 6, 21. V 12, 2 'pectora nostra', sc. poetae. Ib. 625 'tua pectora'. Ex Pont. I 1, 73 'mea pec-

tora'; eodem sensu I 2, 30 'pectora torpor habet', et 57. 120 'pectora flecte viri'. I 3, 12 'mea p.' et 6, 8. 18. 8, 53. II 5, 37 'tua p.' 7, 45 'p. mea'. III 4, 33 'pectora sint nobis' (sc. poetae) .. frīgĭdĭōră'; cfr. sing. frīgĭdĭŭs. IV 1, 17 de poeta, et 2, 19. IV 12, 16 'pectus habere neger', cfr. 31 'duro tibi pectora ferro Esse'. Fast. I 259. 486. II 754 'pectora frigus habet', sc. Lucretiae; eodem sensu 798 'pectore', sed 803 'urguentur pectora palmis', et 804 'pectora tacta manu'; et 831 'fixit sua pectora ferro'. III 249 'tua pectora', i. V. p. 864. V 378. 709. VI 145 'pectoraque .. infantia', sc. Procae. 753. Contra pluralem exspectamus: am. III 3, 42 'di quoque pectus habent', i. V. p. ante voc. sing. perbene ad metrum quadrat. Met. II 85 abl. sing. pro abl. plur.; de Solis equis. Trist. IV 7, 15 'homines cum pectore pectora iunctos', et fast. VI 509 'o toto pectore captae'.

rictus. pps Ovidius met. I 640 Argo in bovem mutata 'rictus novaque ut conspexit in undis Cornua'; et XI 59 'in lapidem rictus serpentis apertos Congelat et patulos, ut erant, indurat hiatus'.

rostra[1]). pps primum apud Propertium IV 1, 96 'aquilae rostra cruenta suae', eodem fere tempore Ovidius am. II 6, 22 'tincta gerens rubro Punica rostra croco', sc. psittacus.

sinus[2]). pps inde a Tibullo I 3, 6 'mater Quae legat in maestos‿ossa perusta sinus'. I 8, 36 puella 'teneros conserit usque sinus'; pluralis nulla causa cogente. Contra III 9, 24 'celer in nostros‿ipse recurre sinus'. Propertius I 8, 38 'illa meos fugit avara sinus'; de I 2, 2 'tenues Coa veste movere sinus', dubitari potest. Ovidius am. I 4, 5 'alteriusque sinus‿apte .. fovebis', sc. poetae amata. III 2, 76 'in nostros‿abdas te ... usque sinus'; 'nostros' i. e. meum. III 6, 68 Ilia 'spargebat teneros ... imbre sinus', ante cons. III 8, 34 'praebuit ipsa puella sinus‿et'. Epist. I 45 de Penelopa 'utque metu micuere sinus', ante cons. V 37 'attoniti micuere sinus', sc. Oenones; de eadem 71 'rupique sinus‿et pectora planxi'. VI 70 'osque sinusque madent', sc. Hypsipulae. XIX 141 Cydippa 'contrectatque sinus‿et'. 145 eodem sensu 'iste meus sinus est.'

---

1) Maas 541. Hailer 14. Bednara 547.
2) Maas 541. Spitta 9. Braumueller I 12. Hailer 14. Bednara 563.

Sapph. 95 'inque sinus ... relabere nostros', ante cons. A. a. II 458 'inque tuos ... est accipienda sinus', ante cons. III 34 'venit in Aesonidos‿altera nupta sinus', i. e. Iasonis. 148 'sustineas similes fluctibus illa sinus'. 212 generaliter. 722 'pulsantur tepidi corde micante sinus'. Met. II 335 'laniata sinus', ante cons. IV 596 'inque sinus caros', ante cons., de Cadmi coniuge. VII 814 'intresque sinus, gratissima, nostros', sc. Cephali. Fast. IV 522 'deicit in tepidos lucida gutta sinus'; de V 609 'aura sinus‿implet', sc. puellae dubitari potest.

terga[1]) — *νῶτα, μετάφρενα*[2]). Primi pps exemplum occurrit in fabula quadam 'Io' inscripta; de poetae nomine pro certo nihil dici potest; nonnulli viri docti de Laevio Melisso cogitant. Versus ille talis est 'pressaque iam gravida crepitant tibi terga pharetra'. Quo in usu sequitur Cicero qui pps sibi permisit in Arateis ter — 152. 216. 278 — quamquam in exemplari Graeco pps non invenitur, tamen Ciceroni quin poetarum imprimis tragicorum et Homeri exempla in mente fuerint hac in re, mihi quidem non dubium videtur esse. Catullus sensu translato de tympano dicit 63, 10 'terga tauri'. Sed proprio quoque sensu pluralis ad unum leonem referendus est, 63, 81 'age caede terga cauda'. Tibullus pps I 9, 22 poeta de se ipso 'ure meum .. caput .. et .. corpus et intorto verbere terga seca'; inter duos singulares, i. V. p. Lygd. IV 87 de Cerbero 'nec consanguinea redimitus terga caterva'. Vergilii temporibus pps huius vocis iam dudum increbruit. Apud eum haec exempla leguntur: Ge. III 80 de uno equo 'illi ardua cervix .. caput, brevis alvus obesaque terga', inter complures singulares. 426 de angue 'squamea convolvens sublato pectore terga'; quo loco Spitta numerum plurativum voluminibus tergi draconis adsimilatum esse censet. Similiter Ae. II 744 'lubrica convolvit sublato pectore terga'; item V 87 'caeruleae cui terga notae'. II 57 'manus iuvenem ... post terga revinctum'. IV 422 de Cerbero 'immania terga resolvit'. VIII 460 'demissa

1) Spitta 21. 22. Overholthaus 6. Appel 24. Hailer 14. Maas 533. 37 sq. Landgraf 73. Slotty 13. 41. 44. 45. 48. Bednara 550.

2) Vocis *νῶτα* pps et proprio et translato sensu XX locis apud Homerum invenitur. Cuius nominis per analogiam pluralis *μετάφρενα* postea exhibitus est, qui pro singulari in Homeri carminibus semel obvius est, item semel apud Archilochum (frg. 29, 3), cfr. Witte 19.

ab laeva pharetrae terga retorquens'. IX 794 de Turno quem poeta cum leone comparat 'neque terga Ira dare .. virtus patitur'. XII 645 Turnus 'terga dabo', i. I. p. Propertius pps III 24, 14 poeta de se ipso 'versas in mea terga manus'. IV 1, 150 'octipedis cancri terga sinistra time'. IV 5, 14 de lena 'et sua nocturno fallere terga lupo'. Sensu translato IV 4, 48 de monte Capitolino 'cave spinosi rorida terga iugi'. Ovidius pps am. I 2, 31 'Mens Bona . . . manibus post terga retortis'. I 15, 22 de vellere aureo 'aureaque .. terga petita duci'. II 7, 22 quis 'tergaque complecti verbere secta velit'. III 2, 24 'nec preme terga genu', sc. puellae meae. Epist. VI 104 'aurea Phrixeae terga .. ovis'. XX 58 Hymenaeus 'terga dedit'. A. a. I 68 'Herculei terga Leonis adit'. 158 de puella 'mollia terga', i. V. p. 272 'Maenalius .. dat sua terga canis'. III 236 'per tua terga', i. V. p. 774 'spectentur tergo, quis sua terga placent'. Met. II 187 'post terga (sc. Phaethontis) relictum'. III 22 'comites sua terga sequentes', de bove quae Cadmo ab oraculo Apollinis praedicta est. 68 'caput in sua terga retorsit', eodem sensu de serpente 71 'tergo'. 575 'manibus post terga ligatis', de Acoete. IV 715 'praebentem Phoebo liventia terga draconem'; item 719 'terga ferae pressit'. 725 'terga .. obsita conchis', de dracone quodam a Perseo victo. V 161 'tutaque terga gerens', sc. Phineus. VI 123 'terga leonis' de Phoebo, qui in leonem se mutaverat. 552 'flexis post terga lacertis', sc. Philomela. 698 'mea terga', i. V. p. VII 73 'dabat . . . terga Cupido'. VIII 34 'terga premebat equi'. 363 'terga parantem Vertere', sc. Enaesimus. 429 de apro Calydonio 'horrentia saetis Terga'. 648 'sordida terga suis nigro pendentia tigno', cfr. 649 de eadem re 'tergore'. IX 102 Nessum 'traiectum terga sagitta'. De eodem 127 'fugientia terga sagitta Traiecit'. 320 de Galanthide 'terga colorem Amisere'. X 592 'tergaque . . . eburnea', sc. Atalantae. 670 'iuvenem post terga reliquit', sc. Atalanta. XII 313 'terga fugae dederas . . . Crenaee'. XIII 224 'cum tu terga dares'. 237 'dantem terga retraxi'. 879 'terga fugae dederat conversa Symaethius heros'. 914 'caesariem .. subiectaque terga tegentem' de Scylla. XIV 143 'felicior aetas Terga dedit'. 363 'equi spumantia terga reliquit'. XV 305 'direpta bicornis Terga capri'. Fast. I 66 'tua terga vides', de Iano; cfr. 92 'tergo'. II 12 'bellatoris terga premuntur equi'. 77 'terga Leonis'. 695 'mea

. . laceravit . . terga'. 698 'terga . . notata vident', sc. iuvenis. 784 'tergaque pressit equi', p. pent. caes. IV 281 'post terga (sc. Magnae Matris) relicta'. V 119 'in sua terga recurris'. 440 'nullo terga vidente sequi'. 531 'terga iuvenci'. 605 'praebuit . . sua terga puellae Iuppiter'; cfr. de eodem 613 'deus . . tergum demisit'. VI 123 'videt Ianus quae post sua terga gerantur'. Contra etiam singularis profertur ubi pluralem exspectamus, velut a. a. I 294 abl. sing. et met. II 201. 869 'tergo considere tauri', quamquam antecedunt pluralia 'pectora ora colla'.

INDEX.

VITA.

Guilelmus Schink Borussus natus sum in provinciae Rhenanae vico cui nomen est Hellenthal a. d. XVII. Kal. Febr. anni MDCCCLXXXVIII patre Ricardo matre e gente Kehrein. Fidei addictus sum evangelicae. Litterarum elementis imbutus ab anno MDCCCLIXVIII usque ad annum huius saeculi III scholam Schleideniam, deinde gymnasium Euskirchiense Hammelrathio directore frequentavi. Vere anni h. s. VIII maturitatis testimonium adeptus almam matrem Philippinam, i. e. academiam Marpurgensem petivi. Cuius per sex menses civis fui. Docuerunt me viri doctissimi Birt, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Natorp, Thiele. Exercitationibus proseminarii interfui Thielio moderante. Autumno eiusdem anni adii academiam Monacensem, ubi per semestre audivi viros doctissimos Crusium, Drerup, Lipps, Rehm, Vollmer, Weyman. Ad seminarii exercitationes Rehmius me admisit. Vere anni sequentis Bonnam me contuli, ubi audivi viros doctissimos Brinkmann, Marx, Loeschke, Erdmann. Autumno anni h. s. IX. petivi almam matrem Ienensem, cuius civis adhuc sum. Hic docuerunt me viri illustrissimi et doctissimi Diehl, Eucken, Goetz, Hirzel, Leitzmann, Liebmann, Michels. Ut seminarii part. II essem sodalis ordinarius permiserunt benigne Diehl, Goetz, Hirzel. Cuius seminarii sodalis ordinarius eram per bis sex menses. Seminarii superioris coetus ut sodalis essem ordinarius humanitate effectum est Goetzii et Hirzelii directorum. Exercitationibus philosophicis benigne me admisit Eucken.

Quibus praeceptoribus meis gratissimam semper habebo memoriam, imprimis autem Georgio Goetzio, qui numquam consilio et opera mihi defuit.